Liturg.
724

Digitized by Google

Der Author dieses
Gesang-buchs
hat Ao. 1731. nun
Scarteque herauß
gelaßen
Unter dem titul:

Das Wunderbahre Catholi
ne Ehrlaängunter grün
Hochen Nahmen Jesu
nannte sich:

Megalissus.

Digitized by Google

STVDIOSVS MODVLANS,

SIVE

CANTICA

IN

ECCLESIA GERM.

AVG. CONFESS.

CONSVETA,

AD

GERMANICAS MELODIAS,

NOVA METHODO,

RHYTHMIS LATINIS

REDDITA

A

M. GEORGIO LITZEL,

VLMENSI, P. C.

ARGENTORATI,

Apud JOANNEM BECKIVM,

ANNO MDCCXXVII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

VIRIS
GENEROSIS,
PRVDENTIA ET ERVDITIONE CONSPICVIS,
DOMINIS,
DN. JO. VLRICO SCHAD,
DE MITTELBIBRAC, JVN.
DN. FRANCISCO DANIELI
DE NEVBRONNER,
INCL. REIP. VLM. SENATORI,
ET JVD. MATRIM. ASSESSORI,
DN. MARCO ANTONIO
BALDINGER,
DN. PHIL. ADOLPH. SCHAD,
DE MITTELBIBRAC,
DN. MARCO TOBIÆ
DE NEVBRONNER,
ILLVSTR. REIPVBL.
VLMENSIS
PATRICIIS,
FAVTORIBVS SVIS
AC PATRONIS DE-
VENERANDIS

D. D.

Digitized by Google

VIRI GENEROSI.

Mitto ad Vos, VIRI GENEROSI, *Studioſum aliquem, pium ac modeſtum, veſtigiis-*

que

que B. Lutheri & noſtratium Theologorum, imò ipſius Veritatis cœleſtis, apprimè inſiſtentem. Atque cum Muſica Poëſique ſacra admodum Vos delectari ſciam, modulabitur hic præcipua illa Cantica, quæ Eccleſiæ noſtræ conſueta ſunt, ore Latino. Quare benignas aures Vos ipſi præbituros, aut, quod Deo acceptum eſt, ſocios Vos ei juncturos eſſe, nullus dubito. Illum concedite modò ei aditum, quem mi-

hi ſemper conceſſiſtis, & admittite eum ad illam conſuetudinem, ad quam me, ante multos jam annos, amicè admiſiſtis. De illo tempore, quo adhuc Muſis Patriis litaveramus, jam non loquar; ſed de hoc, quo in Academia Argentoratenſi, intra duorum fermè luſtrorum ſpatium, converſandi Vobiſcum, optata mihi ſubnata eſt occaſio. Sæpius tùm convenimus, colloquia pia & literaria inſtituimus, &, quæ

ad

ad honeſtam animi recreationem facerent, ſumus executi; attamen ſine diſpendio, ceu pleriſque, proh dolor! ſolemne eſt, illius temporis, quod ſtudiis eſt dicandum. Frequentes ædem ſacram viſitavimus, atque uno ore & corde Deum noſtrum laudavimus. Quod ſic publicè factum eſt, id nec privatim deſiit. Cumprimis ille Vir Generoſus, qui inter Vos ſecundum heic tenet locum, in memoriam ſibi revoca-

bit, nos, quum per biennium uno muséo uteremur, in ſpirituales modulos flectere vocem, in frequentiſſimo habuiſſe uſu. Nec hoc reticendum puto, quod, cum tres ex Vobis graviſſimis decumberent morbis, dies noctesque non modò medicamina è manu mea, verum etiam ſolatia, quibus depreſſa mens erigitur, ex ore meo cupidi receperint. Adeoque in utraque fortuna, & ſecunda & adverſa, affectio-

Digitized by Google

ctionem erga me Vestram, VIRI GENEROSI, *dilucidè commonstrastis. Neque Musis Academicis valedicentes, adque exteras gentes commigrantes, deposuistis illam. Certè ex Gallia, Belgio, aliisque terris, atque dehinc in Patriam reduces, maximam partem jam felici matrimonio juncti, literas ad me dedistis amicas, quas in hodiernum usque diem frequentes accipio. Mera profectò favoris erga me Vestri signa! Quapropter Vos,*

Digitized by Google

PATRONI ac FAVTORES DEVENERANDI, Studioſum meum Modulantem *benignè recepturos, atque eum, æquè ac me ulteriùs, patrocinio Veſtro & favore, dignaturos eſſe, confido. Valete. Dabam Argentorati, VII. Iduum Aprilis, An. MDCCXXVII.*

GENEROSORVM
VESTRORVM NOMINVM

Devotiſſimus Cultor,
AVCTOR.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI
Benevolo ac Pio,
Salutem!

Ymni B. Lutheri, aliorumque pietate insignium Virorum, qua virtute, spiritu, suavitate ac efficacia, juxta concinnam ipsius S. Scripturæ harmoniam, instructi sint, atque in Communione Sanctorum obtineant, jam alibi (*a*) à me pronunciatum est. Quapropter ad plurima, quæ venerandum ipsorum pretium loquuntur, & hoc omninò spectat, quod à variis in varias Gentium linguas translati sint. Omnis fermè, qua patet, Europa, in diverso suo idiomate illos legit & modulatur. Testes sunt ipsæ, quæ extant, versiones, *Gallica*, *Italica*, *Anglica*,

(*a*) In dem Jubel-Fest der teutschen Poesie. sermone ligato, Ulm 1717. in 4.

Digitized by Google

Belgica, Danica, Suecica, Lapponica, Russica, Polonica, Lithuanica & Slavonica, quas pluribus exponit Cl. M. Christianus Augustus Hausen. (*b*) Quibus & addo, extra Europam, Indiæ Orientalis *Malabaricam*, cujus Auctor est Piissimus Ben jamen Schultze, ad Gentiles Missionarius. (*c*) Præterea in illis quoque linguis, quas mortuas dicimus, translationes conspiciuntur. *Hebraica* scilicet M. Georgii Leuschneri, Scholæ Colditiensis per LV. annos Moderatoris: sumtus ad impressionem, consilio Welleri, elargitus est Sereniss. Elector Saxonicus, JOANNES GEORGIVS II. Titulus libri est: *Fasciculus Cantionum Lutheranarum, Ebraicè redditarum, sive quinquaginta duæ B. Lutheri & aliorum Orthodoxâ pietate celebrium virorum*

(*b*) In Præfat. ad Pietatem Melicam, *de qua infra.*

(*c*) Vid. Continuatio XX. deß Berichts der Königl. Dänischen Missionarien in Ost-Indien/ pag. 465. & alibi, ubi plùs minùs quinquaginta istiusmodi Cantiones recensentur.

Digitized by Google

rum Festivales & Catechetica Cantiones ex lingua Germanica & Latina in Ebræam metricè & rhythmicè ita traductæ, ut & melodiarum consuetarum ratio fuerit habita: prodierunt excusæ Lipsiæ in 8. sine mentione anni, quem vero fuisse 1666. ex adjecto eteosticho *eLeCtor Is opVs, Magne tVere DeVs*, patet. *Græca* ejusdem Auctoris, hâc inscriptione: *Hellenodia Lutherana, sive Cantiones sacræ* &c. 1640. in 12. Græcissimus quoque Martinus Crusius, Professor Tubingensis, Græcè convertere cepit quadraginta quatuor Psalmos Germanicos, in Ecclesia cani solitos, ut ipse scripsit: Dem bösen Feind zu leid / wann schon solche Werck das Ansehen nicht haben / daß sie Mecænates oder Typographos bekommen. (*d*) Latent adhuc in MSCto, atque asservantur in Bibliotheca D. Valent. Lœscheri, unacum prosaria eorundem expositione Latina, *indice*

(*d*) Vid. Melch. Adami Vitas Germanorum Philosoph. p. m. 495.

Digitized by Google

dice Celeb. Jo. Alb. Fabricio. (e) M. Theophilus Cangiſerus, Halenſis, aliquot etiam hymnos, ut Gelobet ſeyſtu JEſu Chriſt/ &c. in natalem & reſurrectionem Salvatoris Græcè expoſuit, atque ad finem *Evangeliorum & Epiſtolarum metrico-græcarum Joannis Poſſelii* addidit, Lipſiæ, 1599. 1617. &c. in 8. *Latinis* quoque auribus exhibitæ ſunt Germanorum cantilenæ. Primus hoc ſtudium aggreſſus eſt (f) M. Wolfgangus Ammonius, Eccleſiæ Dunckelſpuhelenſis Diaconus. In ſcriniis meis aſſervo binas illius editiones, quarum prior, merè Latina, excuſa eſt Lipſiæ, an. 1579. in 12. ſub titulo: *Libri tres Odarum Eccleſiaſticarum, de Sacris Cantionibus, in Eccleſiis*

(e) In Biblioth. Græc. L. V. C. 5. §. XXVIII. p. 692. Has a Cruſianas expoſitiones Latinas, Theologiæ Studioſo haud inutiles, è MSCto edidit Cl. M. Joh. Chriſtoph. Olearius, ſub tit: *Homilia Hymnodica, quadraginta quatuor Cantica Eccleſiæ Lutherana bene diſpoſita, Verbo Dei puro illuſtrantes, &c.* Arnſtadii 1705. in 8.

(f) Vid. Ejus Epiſt. Dedic. p. 5.

Digitized by Google

cleſiis Germ. Aug. Conf. ad ſimiles numeros, modos & concentus muſicos, carmine converſis, &c. Poſterior vero, & Germanicè, typis expreſſa eſt Francof. ad Mœn. an. 1581. in 12. inſcripta: **Neu Geſangbuch teutſch und lateiniſch / darinn die fürnehmſte Pſalmen und Geſänge ꝛc.** *Pſalmodia nova Germanica & Latina, qua præcipuæ Cantiones &c.* (g) Hunc inſecuti ſunt Jo. Lauterbachius, Saxo, in *Cythara Chriſtiana Pſalmodiarum ſacrarum*, an. 1585. in 8. *& Pſalmis XV graduum cum hymnis*, Lipſiæ, 1590. in 8. Valentinus Cremcovius, Scholæ Magdeburgenſis Rector, qui *Cytharæ Davidicæ*, ſive Latino-metrico-

(g) Hunc codicem poſſedit olim M. Phil. Cniſius, Paſtor ad D. Annam Islebii, qui ad finem Canticum illud, expreſſo Auctoris M. Lud. Helmboldi nomine, **Nun laßt uns GOtt dem HErren ꝛc.** Manu ſua exaratum, ſuamque verſionem metrico-Latinam Cal. Sept. An. 1586. adjecit. Cujus rei ideo mentionem injicio, ut pateſcat, non D. Nic. Selneccerum, uti in plerisque Germanicis Cantionum libellis traditur, ſed M. Lud. Helmboldum dicti Cantici Auctorem eſſe.

Digitized by Google

trico-rhythmicæ (ex Germanica Pſalmorum Metaphraſi Corn. Beckeri, Lipſiæ an. 1617. in 8. editâ) verſioni ſuæ quædam Cantica adjecit, Magdeb. 1621. in 12. (*h*) cujus conatum B. Phil. Jac. Spenerus admodum laudat. (*i*) Joſeph. Clauderus, qui *Pſalmodiæ novæ* tres centurias ſelectorum hymnorum edidit, centuria I. lucem vidit an. 1627. Cent. II. 1631. Cent. III. 1636. omnes in 12. M. Adamus Andreæ, Scholæ Chemnicenſis Rector, in *Carminibus ſuis piis* aliquos hymnos reddidit, 1639. in 8. M. Tobias Petermannus, qui Hymnorum Riſtianorum III. Tom. in 24. comprehenſorum, ut & aliquot *Decadum* aliarum Cantionum interpretem Latinum egit, Luneb. 1657, 1658, 1659. Caſpar Stielerus in *Trifolii ſui Sacri* Parte III. perplures evulgavit, Jenæ 1674. in 12. Jo. Hechtius, Ludimoderator Wacha-

(*h*) Jo. Alb. Fabricii Bibl. Græc. Lib. V. Cap. XVI. p. 675.

(*i*) In Præfat. ad M. Narciß Rauners Davidiſchen JEſus-Pſalter/Augſp. 1670. in 12.

Wachavienſis, in *Eccleſiodia D. M. Lutheri*, Lipſ. 1682. in 12. Et Wolfg. David Fehmelius, Paſtor Leipnizenſis, in *Delectu Hymnorum Sacrorum*, Grimmæ, 1700. Quorum vero libelli ad manus meas nondum pervenerunt. (*k*) Collegit autem illos Cl. M. Chriſtianus Auguſtus Hauſen, Paſtor Dresdenſis, atque ſelectos in uno volumine edidit, ita, ut unius hymni duæ ſæpius, tres aut quatuor diverſorum Auctorum verſiones appareant, hoc titulo: *Pietas Melica, ſive Liber Cantionum comprehendens Hymnos præcipuos &c.* Dresdæ & Lipſiæ, 1710. in 12. (*l*) Atque hi ipſi Auctores, quos hactenus recenſui, ſpeciatim illi, qui Cantiones noſtras in Latinam linguam, ceu eruditis vernaculam, transtulere, magnam omninò laudem merentur, quum ſtudium ſuum in pia ali-

(*k*) Fide nitor Cl. Hauſenii, qui illos in cit. præf. ita recenſet.

(*l*) Forſitan hic liber jam An. 1704. prima vice prodiit, cum idem annus Præfationi memoratæ editionis ſubſcriptus ſit.

Digitized by Google

aliqua, Deo accepta, & proximo perquam utili collocaverint opera. Miror autem laboris difficultatem, dum neque ſimplex metrum, neq; ſimplicem rhythmum, ſtruxerint, ſed utrumque conjunxerint, omnes eliſiones evitaverint, atque plurimum temporis, [uti Ammonius, *multo ac diurno labore*, in pangendis plùs minùs ſexaginta Odis, *novem annorum ſpatium*, (*m*)] inſumſerint. Cum itaque, præſertim quod metrum ſpectat, vulgaria Poëtarum Latinorum veſtigia preſſerint, non aliud fieri potuit, quam, ſi cum Germanica ſcanſione Latina ſcanſio conferatur, hæc ab illa multùm differat, atque, ob haud obſervatum accentum, illepidum in auribus pariat ſonum. Cui & hoc accedit, quod exiguam quandoq; ipſius rhythmi adhibuerint curam. Vtrumq; ut evidentius fiat, oculis tuis ac judicio, B. L. aliquot ſubjiciam ſtrophas illius Cantionis der

HErr

(*m*) Vid. ejus Epiſt. Dedic. p. 6.

HErr iſt mein getreuer Hirt/ ꝛc. ex verſione Ammonii.

Dicolos Heptaſtrophos communis.

1.

DEVS ſuis me paſcuis
Paſtor regit fidelis:
Mihi boni nihil magis,
In ergo derît illis:
Hic paſcit absque fine me,
Per gramen herbæ floridæ
Verbi ſui ſalubris.

2.

Minat dehinc ad limpidam,
Aquam refrigerantem:
Hic SPIRITVS SANCTVS meam
Reſtaurat ipſe mentem:
Et ducit intra ſemitam,
Juſſus ſui rectiſſimam,
Nomen ſuum per æquum.

3.

In ambulans umbra necis,
Timebo nîl perîcli:
Sub perſecutionibus,
Hujusque fraude ſecli:
Es tu mihi præſens enim,
Levantque me pedum tuum,
Tuique virga verbi. &c.

Quare Cantiones noſtras Germanicas, novâ planè methodo, vertendas eſſe, conſultius duxi.

Hoc

Hoc autem fieri poſſe, animadverti, ſi metrum Latinum prorſus omittatur, atque ſyllabarum quantitas, ſolùm juxta naturalem vocis accentum, menſuretur, obſervatis hiſce regulis: *in vocabulis diſſylabis aut polyſyllabis, ubi accentus elevatur, ibi eſt Syllaba longa:* è contra, *ubi accentus deprimitur, ibi eſt ſyllaba brevis: monoſyllaba modo longa, modo brevia ſunt, prout illorum cum aliis vocabulis connexio requirit: nulla eliſio invenit locum:* adeoque *tota ſtructura metrum & indolem poëſeos Germanicæ ſequitur.* Sic enim carmen mollius fluet, genuina modulatio obtinebit, aures dulcedine afficientur, majorque in animo excitabitur cupiditas atque devotio. Et juxta hanc methodum mea compoſui Cantica. Id tamen neutiquam contendo, ac ſi hanc methodum primus excogitaverim, cum notum ſit, ipſos olim Latinos jam jam formaſſe verſus rhythmicos, neglectâ ſyllabarum

barum quantitate; (*n*) ſed illud tantùm indigito, neminem, quantum ſcio, Cantiones noſtras Eccleſiaſticas, hâc methodo, unquam edidiſſe. Duas quidem, wer nur den lieben GOtt läßt walten/ & Ich laſſe GOtt in allem walten / hoc modo eleganter transtulit inſignis ille Theologus ac Poëta Hamburgenſis, M. Erdmannus Neumeiſter, quas ideo libello meo inſerui. (*o*) Aliquot etiam, aliquantiſper hinc inde mutatæ, ſe ſiſtent Odæ, quas Cl. Hechtius metrice quidem, verum obſervato accentu, benè compoſuit: notavi illas in Indice cum aſteriſco.

(*n*) Vide omninò Caſaubonum in Notis ad Perſium, pag. 230. Salomon von Til, in der Dicht- Sing- und Spiel-Kunſt ſowohl der Alten / als inſonder der Hebräer / Sect. 3. pag. 49. & Magn. Dan. Omeis in der Anleitung zur teutſchen Reim- und Dicht-Kunſt / Cap. 9.

(*o*) Extant in der galanten Poëſie, cujus Dn. Neumeiſter Auctor eſt, à *Menante* edita, Hamburg, 1707. in 8. pag. 39 & 494. it. im Neumeiſteri Zugang zum Gnaden-Stuhl JEſu Chriſti / pag. 770. edit. Weiſſenfels an. 1719. in 12.

Digitized by Google

riſco. Illos hymnos, quos antiqui Patres Eccleſiæ, ſæpius ſine rhythmis, ſtruxerunt, cum aliquibus Ammonii, ad dictum modum, adque translationem B. Lutheri Germanicam, formavi, retentis quidem, ubi fieri potuit, rerum expreſſionibus atque loquendi formulis: quandoque etiam rhythmos, licet in iis aliquid de ſideraverim, ob piam antiquitatem admiſi. Ceterum hoc pietatis exercitium, maximè diebus Dominicis & Feſtivalibus, finitis à me ſacris publicis, ſuſcepi, atque in privatum meum uſum Cantica hæc latinè reddidi, ſedulam navans operam, ut verbum verbo ubique ferè reſpondeat. Admonitus autem nuper à Viro, cujus nutûs ceu mandata veneror ſemper, ut per typum illa evulgarem, eò lubentius parui, quo avidius optavi, ut per hunc etiam qualemcunque laborem Studioſi Juvenes ad ſinceram & infu-

infucatam pietatem allicerentur, utque exteri, quibus lingua Germanica ignota eſt, cognoſcerent, quænam ſit in noſtra Eccleſia, per cantus, colendi Deum ratio. Equidem prævideo, cum ſtrenuis Grammaticis difficulter me gratiam initurum, ſed potius illam, quam Venerandus Vates, Dn. Neumeiſter, auguratus eſt, ſententiam auditurum eſſe (*p*): Wer ſich bey einem Schuhlfuchſe mit dergleichen Carminibus recommandiren wolte / der würde gewiß dieſes zum Recompence erhalten / daß er in die Grammaticaliſche Acht und Ober-Acht erkläret / in Gelehrten Bann gethan / oder ewig auf die Galeeren aller Pedanten verdammet würde. Mitioris vero ingenii Cenſores aliter ſtatuturos eſſe, nullus dubito. Qua ſpe firmiter fretus, animitus precor, ut, *Benevole Lector*, Tuque imprimis

Stu-

(*p*) Galante Poëſie, pag. 45.

Studioſe Juvenis, illud Apoſtoli monitum, Coloſſ. III. 16. 17. *Verbum Chriſti inhabitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docendo & admonendo vos mutuò Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cum gratia modulantes in corde veſtro Domino: & quidquid feceritis ſermone aut factis, id omne facite in nomine Domini Jeſu, gratias agentes Deo, & Patri, per eum*, cura fideli piaque mente ſemper exequaris, donec olim, in Eccleſia Triumphante, cum ſanctiſſimo Angelorum & Electorum choro, lætabundi concinemus, atque DEVM TRINVNVM ſuaviſſimis modulis in æternum celebrabimus. Halleluja! Vale in Domino, atque Muſis meis fave. Scribebam Argentorati, pridie Nonarum Aprilis, An. MDCCXXVII.

(o)

ORA-

ORATIONES MATVTINÆ.

I.

Aus meines Hertzens Grunde/

1.

EX omni mea mente
Te DEVM celebro,
Jam ſole oriente,
Et donec vixero;
Hæc, NVMEN MAXIMVM!
In tuum ſint honorem,
Per CHRISTVM Salvatorem,
Et Vnigenitum.

2.

Me fons benignitatum,
Hac nocte ultima,
Adverſus omne fatum
Eſt tûtus gratiâ:
Et precor anxiè,
Condones ut peccata
A me heic perpetrata,
Queis irritavi Te.

3.

Sic etiam tuteris

A Me

Me clemens hodie,
Furoribus à feris,
Et fraude Satanæ;
Ab igne, fluctibus,
Esurie crumenæ,
Injusta vi catenæ,
Citique obitûs.

4.

In me quæ deprehendo,
Et mea extera,
In Tuas jam commendo;
Vt & domestica,
Ceu tua munera,
Parentes & cognatos,
In uno agro satos,
Et cuncta propria.

5.

Fac Angelum manendum,
Ne absit socius,
Ad dæmonem pellendum,
Ne malus spiritus,
In hac miseria,
In memet fraudes edat,
Cum mente corpus lædat,
Ne occidant unâ.

6.

A DEO sit res acta,
Hic est Omnipotens;

Secun-

Secundet mea facta,
Et quæ ſum moliens:
Hic manu retinet
Naturam concreatam,
Et rem quamcunque datam:
Vt vult, efficiet.

7.

His addo cunctis Amen,
Me nunquam fallet ſpes,
Quæ precor, SANCTVM FLAMEN!
Clementer audies:
Jam manus explico,
Attingens opus lætus,
Mandato DEI fretus,
In hoc officio.

II.

GOtt deß Himels und der Erden.

1.

DEvs orbis fabricator,
PATER, FILI, SPIRITVS!
Lucis, noctis es Creator,
Nitens fulgor cælicus,
Manus tua obices
Dirigit, & mundi res.

2.

DEo digni ſint honores,

Nocte qui præterita,
Vertit casus & dolores
Optima Vigilia,
Potens ne Diabolus
Perderet me fraudibus.

3.

Fugiat nox delictorum
Cum hac nocte propera:
Dulcis JESV! peramplorum
Vulnerum des spatia
Mihi, quæ refugium
Sint meorum criminum.

4.

Ut cum sole oriente,
Tuo surgam nomine,
Juva! & Te veniente
Curas geram animæ:
Quando sonant ultima,
Ne se angat anima.

5.

Meus esto gubernator
In verborum tramite,
Atque maneas Servator,
DEVS! meus hodie,
Nullo, quam à Te solùm
Surgit patrocinium.

6.

Corpus, mentem & commendo,

At-

Digitized by Google

Atque vires animæ
Tibi DOMINE! quærendo
Opem in discrimine:
Scutum, honos, gloria
Mihi sis in secula.

7.

Servum tuum vigilantem
Mittas mihi: Satanæ
Tricas, æstus observantem,
Me tuentem optimè:
Tandem gerat spiritum
In cœlorum gremium.

ORATIONES VESPERTINÆ.

III.

Werde munter mein Gemüthe / ꝛc.

1.

EJa! mens nunc surge mea,
Sensus & procedite!
Vt deprædicetis ea,
Queis beavit DEVS me,
Cum diurno tempore
Contra mala optimè
Tutum memet conservavit;
Nec me dæmon profligavit.

2.

Cano Tuos in honores,
Pater omnis gratiæ!
Quod ex voto ſint labores
Acti: quod è luctu me,
Varioque crimine
Velles fidè trahere,
Atque hoſtes trucidare,
Meque ſalvum conſervare.

3.

Nullus prudens calculabit
Miram Tuam gratiam,
Nec orator perorabit
Manûs Tuæ operam,
Neque beneficia
Inexputabilia:
Imò Tu me ſic duxiſti,
Cuncta mala abegiſti.

4.

Dies hic jam præterfluxit,
Surgit nox triſtiſſima,
Solis luxus jam deluxit,
Qui fert mille gaudia.
Pater adſis fortiter,
Luce mihi opem fer,
Vt cor frigidum candeſcat,
Si in tenebris quieſcat.

5. Jova

Digitized by Google

5.

Jova! gratis condonare
Velis mihi crimina,
Quæ cor meum venenâre
Ceu taborum onera,
Satanæ fallacia
Poſcit me ad tartara;
Sed Tu ſolus liberare
Potes me, nec condemnare.

6.

Quamvis domûs liqui tuas;
Tamen, Pater! redeo;
Per perpeſſiones ſuas
Jesvs eſt redemtio:
Culpam nego minimè,
Namque tuæ gratiæ
Sunt majores quam peccata,
Queis mens eſt contaminata.

7.

O beatæ mentis Votum!
Fulgor immutabilis!
Tibi me commendo totum
In his ſemper tenebris:
Mane Devs apud me,
Hæ me terrent tenebræ,
Namque ſolent contriſtare,
Hinc amore me ſolare.

8.

Contra dolos tenebrarum
Sis Tu meus clypeus,
Vires angunt me earum
Demonisque impetus:
Alma Lux, ah! proſpice,
Nunquam ut deperdam Te,
Nam ſi Tu in mente luces,
Nullæ me devincunt cruces.

9.

Oculus cum ſe occludet
Tandem laſſitudine;
Jugiter mens mea ſtudet,
Vt attenta ſit ad Te:
Ipſa de Te cupida
Somniabit ſomnia,
In Te ſemper ſit innixa,
Atque ſtertens Tibi fixa.

10.

Mihi nocte hac largire
Requiem dulciſſimam:
Quævis mala fac abire,
Lecto dona gratiam,
Corpus atque animum,
Quodque mihi proprium,
Hoſtes, cum amicis, bona,
Patrocinio corona.

II.

A terrore me tuere,
Si infestor, tege me,
Velis morbi vim delere,
Belli motus abige,
Aquas, ignes supprimas,
Pestes, mortes subitas,
Nec in culpa me obire,
In æternum nec perire.

12.

Audi ea, MAGNE DEVS!
Supplex quæ precatus sum;
JESV, qui es honor meus,
Esto patrocinium:
Tuque SANCTE SPIRITVS
Spes, Solator unicus,
Audi id, quod pectus hiat,
Amen, amen ita fiat.

IV.

Nun ruhen alle Wälder / ꝛc.

1.

NVnc Sylva est quieta,
Vrbs, homo, arboreta,
Cum mundo dormiunt;
Vos autem, sensus mei,
Cantate laudes Dei,
Quæ PATRI vestro gratæ sunt.

2.

Quò, sol, te contulisti?

Ob noctem aufugisti,
Diei invidam:
Quid inde? esto clausus;
Sol, JESVS! meus plausus
Pellucet meam animam.

3.

Jam dies acquiescit;
In cœlo & splendescit
Jam stella aurea;
Sic mea mens & stabit,
Si DEVS me vocabit
Ex vita hac miserrima.

4.

Et calceos & vestes,
Mortalitatis testes,
Nunc lassus exuo;
At CHRISTVS me ornabit,
Cum ipse me vocabit,
Ornatu majestatico.

5.

Pes, caput, manus plaudunt,
Quod se labores claudunt
Hoc die penitùs.
Ah! meum cor lætare,
Nam DEVS liberare
Te vult à malis omnibus.

6.

Nunc corporis i massa,

Digitized by Google

I cubitum, es lassa,
Spirasque lectulum;
Approperabit hora,
Quâ erit sine mora
Sepulcrum, quo is cubitum.

7.

Sunt palpebræ nutantes;
Pupillas mox velantes;
Ast ubi anima?
Hanc clemens observabis,
Indemnem & præstabis,
O! Vigil super omnia!

8.

Ah! brachia expande,
O JESV adamande!
Me pullum suscipe:
Cum Satan monstrat dentes,
Sint Angeli canentes,
Illæsum semper esse me.

9.

Et vos, o mei chari!
Non audeat tristari
Periclum invidum.
Adstabit DEVS vobis,
Promittens cunctis nobis
Angelicum præsidium.

ANTE SACRA TRACTANDA.

V.

HErr JEſu Chriſt / dich zu uns ꝛc.

1.

SIs præſto JESV, optimum
Nunc mittas Tuum SPIRITVM,
Qui nos clementer foveat,
In veritate dirigat.

2.

Vt laudem Te, os reſera,
Devotam mentem præpara,
Adjuta fictum, animum,
Sit nomen Tuum cognitum.

3.

Cum Angelis dum canimus,
TER SANCTVS EST TER MAXIMVS;
Videntes Te à facie
Æternum læti, ſplendidè.

4.

Sit honos PATRI, FILIO
SPIRITVI Sanctiſſimo,
TRINVNI DEO maxima
Sit ſemper laus & gloria!

VI.

Liebſter JEſu / wir ſind hier / ꝛc.

1.

JESV! ſumus hîc, ut Te,
Verbum Tuum audiamus.

Cor

Cor & ſenſus dirige,
Vt doctrinas perdiſcamus,
Quo è terra cor trahatur,
Ad Te ſolum dirigatur.

2.

Noſtrum noſſe, animus
Tenebris eſt occultatus,
Niſi Tuus SPIRITVS
Luce nos ſit amplexatus,
Bona noſſe, cogitare,
Tu in nobis operâre.

3.

Lux de luce ſplendida!
NATE DEI venerande!
Omnes nos jam præpara,
Cor, os, atque aures pande:
Preces noſtræ, cantilenæ,
Fac, o JESV, cedant benè.

FINITIS SACRIS.

VII.

Nun GOtt lob! es iſt vollbracht/ ꝛc.

1.

PRECES, DEO gratiæ!
Dogma, cantus conſummatus,
DEVS cuncta optimè
Fecit, quare ſit laudatus!

DEVM

DEVM noſtrum veneremur,
Quod tam lautè epulemur.

2.

Sacris jam compoſitis,
Benedictione data,
Quisque it unanimis
Domum via in beata:
SPIRITVS nos porro regat,
Nosque omnes benè tegat.

3.

Beet noſtrum exitum,
Et introitum, fruamur
Benedicto pane, tum
Beet, ſi quid operamur.
Beet nos beata morte,
Et heredum cœli ſorte.

VIII.

O GOtt/du höchſter Gnaden-Hort.

1.

O DEVS rupes gratiæ!
Vt Verbum Tuum, effice,
Per aures ad cor tranſeat,
Vt vim & fructum exſerat.

2.

Hæc vis eſt Fides unica;
Cum JESV CHRISTO ſocia,
Sunt ejus fructus opera,
Nos pios commonſtrantia.

3. Per

3.
Per SPIRITVM, fac DOMINE,
Vt ſemper in noſcendo Te
Creſcamus, atque requie
Fruamur tandem apud Te.

DE ADVENTV CHRISTI IN CARNEM.

IX.

Nun komm der Heyden Heyland/ꝛc.

1.
VEni Salus gentium;
Germen Matris agnitum,
Orbi ſis miraculo,
Sic volente DOMINO.

2.
Non ex viri ſanguine;
Sed ex DEI munere,
VERBVM caro genitum;
Germen ventris floridum.

3.
Alvus tumet Virginis;
Incorruptis vinculis:
Jam jam virtus eminet;
DEVS throno inſidet.

4.
Exit ſuo thalamo,

Puro

Puro Regis atrio,
Vir naturæ geminæ
Cito currit tramite.

5.

A Parente exiit,
Ad Eundem retrò it,
It ad usque Zabulos,
Retrò it ad ſuperos.

6.

Patri Ὁμοούσιε,
Carne hoſtes ſubige,
Tuam per potentiam,
Carnem firma languidam.

7.

Eſt præſepe lucidum.
Nox dat Novilunium,
Nulla nox interpolet,
Fides ſemper enitet.

8.

Laus ſit PATRI Optimo,
Laus ſit Ejus FILIO,
FLAMINI SANCTISSIMO,
Nunc & omni ſeculo.

X.

HErr Chriſt der einig Gottes Sohn.

1.

O JESV! à Parente
Præ ſeclis genite:

Ex

Ex ejus orte mente,
Tenore paginæ:
Tu ſtella manè ſplendens,
Fulgorem latè tendens,
Præ ſtellis reliquis.

2.

Homoque nate mundo,
Inſtante tempore:
De Matre prodeundo,
Manente Virgine:
Tu mortem confregiſti,
Cœlumque recluſiſti,
Salute reddita.

3.

Noſcendo Te, creſcamus,
Et diligendo Te,
In Fide maneamus,
Regente FLAMINE:
Vt corde deguſtemus
Te dulcem, dum vivemus,
Et ſitiamus Te.

4.

Cunctarum rerum Sator,
Vis PATRIS valida,
Æterne Imperator,
Virtute propria:
Cor noſtrum Tibi necte,
Noſtrosque ſenſus flecte,

Ne

Ne flectant se à Te.

5.

Nos favor Tuus cædat,
Nos idem erigat,
Adamum priscum lædat,
Vt novus valeat:
In terris hîc agentes
Habere fixas mentes,
Fac, in Te unico.

XI.

Wie soll ich dich empfangen? ꝛc.

1.

QVo modo Te amplectar?
Quo modo colam Te?
O omnis mundi nectar!
O decus animæ!
O JESV, JESV, sere
Tu Ipse semina,
Vt, quibus delectêre,
Sint mihi cognita.

2.

Nunc Sion viam palmis
Consternit regiam;
Et ego meam Psalmis
Levabo animam:
Cor meum flores ferat,
In Tui gloriam,

Morem

Moremque Tibi gerat,
In quantum valeam.

3.

Quæ Tu non es conatus,
Vt ego gaudeam?
Cum totus contristatus
In luctu sederam:
Cum Regno sum orbatus
Æternæ gloriæ,
Tunc JESV Tu solatus
Et hilarasti me.

4.

In vinculis tenebar,
Tu his me eximis;
Probrosus deridebar,
Tu venis, evehis
Ad magnos me honores;
Donasque opibus,
Quæ nesciunt rosores,
Vt mammon luteus.

5.

Nil, nil ex cœli oris
Te impulit ad me,
Nil, amor quam amoris;
Quo omnes onere
Doloris tam amari
Oppressos homines,
Quod nemo scit effari,

Tu

Tu sic complexus es.

6.

Hæc, hæc inscribe menti,
Tu mœsta copia!
Si tibi jam ferenti
Augentur onera:
Ne timeas! Salvator
Ad te mox advolat:
Hem tuus Consolator
Jam ante fores stat.

7.

Ne nervos intendatis,
Nec sitis anxii,
Quî Eum attrahatis
Cum vestræ manus vi:
Is venit, spontè venit,
Amore affluit,
Dolores omnes lenit,
Quos vobis esse scit.

8.

Nolite formidare
Vel vestra crimina;
Hæc JESVS vult velare
Amore omnia:
Hic venit, & solatur
Salvatque miseros,
Vt cœlum, operatur,
Sit vestra pars & dos.

9. Quis

9.

Quis ſtrepitum curabit,
Et fraudes hoſtium?
Quos DEVS diſſipabit
Ad inſtar acerum:
Rex venit ad vincendum,
Cuî omnis copia
Ad Ipſi reſiſtendum
Eſt minor minimâ.

10.

Hic venit Judex terræ,
Vt malis malè ſit:
Amorem vult referre,
Qui Eum diligit:
Ah veni, veni NVMEN!
Omnesque convoca
Ad gaudiorum lumen,
In Tua atria.

DE NATIVITATE CHRISTI.

XII.

Chriſtum wir ſollen loben ſchon / ꝛc.

1.

LAudemus CHRISTVM JESVLVM
Mariæ puræ Filium,
Quousque ſol irradiat,
Omnem-

Omnemque orbem permeat.

2.

Authori rerum omnium
Servile est opusculum,
Vt carne carnem redimat,
Nec perdat, quos creaverat.

3.

Cœlestis intrat gratia
Parentis castæ viscera:
Puellæ venter publicat
Secreta, quæ non noverat.

4.

Pudici domus pectoris
Fit statim templum NVMINIS:
Cognoscens nullum masculum
Concepit verbo Filium.

5.

Illustris Mater peperit,
Quem Gabriel præcinuit:
Quem Janus monstrat saltibus,
In Matris alvo conditus.

6.

Jacere fœno pertulit,
Præsepe non abhorruit:
Famemque lacte comprimit,
Per quem nec ales esurit.

7.

Lætantur Chori cœlici,

DEVM-

DEVMQVE canunt Angeli:
Indicitur pastoribus
Creator, Pastor Maximus.

8.

PARENTI SVMMO gloria,
NATOQVE sit laus maxima,
Canamus SANCTVM SPIRITVM,
Nunc & per omne seculum.

XIII.

Der Tag der ist so Freudenreich/ ꝛc.

1.

HIc dies est lætitiæ
Cuique creaturæ,
Nam DEI Proles hodie,
Et supra vim naturæ.
Ex Virgine est edita,
Maria tu es unica,
Edas matris actus,
Quid fit mirabilius,
SVMMVS DEI FILIVS
Ipse homo factus.

2.

Puerulus amabilis
Ad nos jam jam prodivit,
Ex alvo puræ Virginis,
Nos pauperes lenivit:
Haud nato hoc Puerulo,
Spectasset nos perditio,

Salute

Salute sed communi,
Eja JESV Optime!
DEVS homo genite,
Ne nos inferno puni.

3.

Vitrum ut non læditur
Hoc sole penetrante;
Sic illæsa cernitur
Post partum atque ante,
Felix hæc puerpera,
Cujus casta viscera
DEVM genuerunt,
Tenet hunc præsepium,
Crux heic & incommodum
Illum affecerunt.

4.

Pastoribus tuentibus
In agro suum gregem,
Dicit grex angelicus,
Jam Natum esse Regem,
Regum CHRISTVM Maximum,
Hoc fert Herodi tædium,
Carnifices mittebat,
Quam dolosum animum
Alebat contra JESVLVM,
Puerulos cædebat.

XIV.

XIV.

Ein Kind gebohren zu Bethlehem.

1.

PVer natus in Bethlehem,
Hinc læta est Jerusalem.
Hallelnja.

2.

Hic jacet in præsepio,
Qui regnat sine termino.
Halleluja.

3.

Cognovit bos & asinus,
Quod Puer esset DOMINVS.
Halleluja.

4.

De Saba Reges veniunt,
Thus, aurum, Myrrham offerunt.
Halleluja.

5.

De Matre natus Virgine,
Virili sine semine.
Halleluja.

6.

Serpentis sine vulnere,
De nostro venit sanguine.
Halleluja.

7.

In carne nobis similis,

Peccato ſed diſſimilis.
Halleluja.

8.

Vt redderet nos homines,
DEOQVE ſibi ſimiles.
Halleluja.

9.

In hoc natali gaudio,
Benedicamus DOMINO.
Halleluja.

10.

Laudetur Sancta TRINITAS,
Dicamus DEO gratias.
Halleluja.

XV.

Gelobet ſeyſtu JEſu Chriſt / ꝛc.

1.

LAudetur CHRISTVS JESVLVS,
Homo quod eſt genitus
Parenti caſtæ Virgini:
In hoc & gaudent Angeli.
Halleluja.

2.

Æterni PATRIS FILIVM
Tenet nunc præſepium:
Cum carne vili Maximus
Veſtivit ſeſe DOMINVS.
Halleluja.

3. Qui

3.

Qui omnem orbem ſuperat,
Sinu Matris recubat:
Hic factus eſt infantulus,
Qui cuncta ſervat unicus.
Halleluja.

4.

Æterna lux heic penetrat,
Novum orbi lumen dat,
In atris lucet noctibus,
Reddorque lucis filius.
Halleluja.

5.

Divinus Patris Filivs
Hoſpes orbe redditus,
Educit orbis incolas
Ad aulas ſuas cælicas.
Halleluja.

6.

In terras venit indigens,
Noſtra fata condolens:
Daturus cœlis divites,
Et Angelis nos compares.
Halleluja.

7.

Hæc nobis fecit omnia,
Charitate cognita,
Triumphet ut Eccleſia,

Gratetur Huîc in ſecula.
Halleluja.

XVI.

In dulci jubilo, &c.

1.

IN dulci jubilo,
Cantate gaudio:
Voluptas noſtri cordis
Eſt in præſepio:
Ceu ſol corruſcat fortis
In Matris gremio:
Alpha eſt & O.
Alpha eſt & O.

2.

O JESV Parvule,
Requiro ſolum Te:
Meumque ſis ſolamen,
O Puer optime!
Commune per levamen,
O Princeps gloriæ!
Trahe me poſt Te,
Trahe me poſt Te.

3.

O PATRIS charitas!
O NATI lenitas!
Nos omnes cadebamus
Per noſtra crimina:

Per

Per hunc recuperamus
Cœlorum gaudia:
Simus hîc eja!
Simus hîc eja!

4.

Sunt ubi gaudia?
Non usquam qualia
Ad Angelos, canentes
Jucunda cantica:
Et cymbalis ludentes
In Regis curia:
Simus hîc eja!
Simus hîc eja!

XVII.

Vom Himel kam der Engel Schaar.

1.

GRex Angelorum cœlitus
Annunciat pastoribus,
Puerulum durissimo
Jacere in præsepio.

2.

In Bethlehem Davidica,
Secundum Michæ monita,
Est JESUS CHRISTUS DOMINUS
Salvator vobis omnibus.

3.

Lætari vestrûm omnis quit,

Digitized by Google

Quod DEVS vobis junctus sit,
E carne vestra prodiens
Est frater vester SVMMVM ENS.

4.

Quid crimen & mors oberit?
Vos verus DEVS protegit,
Styx furat & diabolus,
Vos penes DEI FILIVS.

5.

Hic nequit vos relinquere,
Duntaxat Huîc confidite:
Vos petant bello plurimi,
Quid est, quod & morentur hi?

6.

Victoriam tenebitis,
Divini estis generis,
Hinc DEO grates dicite,
In læta semper requie.

XVIII.

Vom Himmel hoch da kom̃ ich her/ꝛc.

1.

AB altis cœlis prodeo,
Et bona nova nuncio,
Tot bona nova adfero,
Quæ nunc cantare cupio.

2.

Infantulus est hodie

Ex pura natus Virgine:
Infantulus tenerrimus,
Qui vobis sit lætificus.

3.

Est CHRISTVS noster DOMINVS,
Ducturus vos è sordibus:
Salvator unus omnium,
Purificator criminum.

4.

Salutem adfert omnibus,
A PATRE missam cœlitus:
Vt inde nobis usque cum
Vivatis omne seculum.

5.

En! observate notulas,
Præsepe, leves fascias,
In quibus Puer recubat,
Qui totum orbem bajulat.

6.

Lætemur hinc animitus,
Junctique cum pastoribus
Cernamus DEI præmium,
Percharum Ejus FILIVM.

7.

Attende mens, & respice,
Quem fert præsepe ante te?
Quis Puer hic belliſſimus?
Chariſſimus est JESVLVS.

8.

Salveto hoſpes optime!
Sons haud contemtus eſt à Te,
Et advenis in terras has:
Quas agam Tibi gratias?

9.

Ah! ſator rerum omnium
Quî exhibes Te ſervulum?
Vt cubes fœno parvulus,
Quod edit bos & aſinus.

10.

Hic orbis ſit ampliſſimus,
Gemmisque, auro ſplendidus;
At minor eſſet minimis,
Qui Tibi ſit cunabulis.

11.

Byſſusque, tuum ſericum,
Sunt faſces, fœnum aſperum:
Superbis his, REX MAXIME,
Ceu tuæ eſſent regiæ.

12.

Hoc tuum fuit placitum,
Vt me non ſinas inſcium,
Quod honos, vis, divitiæ
Nil ante Te ſint validæ.

13.

Ah! JESV fac molliſſimum
In memet Tibi lectulum:

In

In mea cuba pectore,
Et intimè servabo Te.

14.

Hinc multa fiant gaudia,
Et læta surgant jubila:
Cantemus Susannine jam
Secundum dulcem musicam.

15.

Laudetur NVMEN MAXIMVM,
Quod nobis dedit FILIVM:
In hoc & gaudent Angeli,
Recentis anni nuncii.

XIX.

O Fürsten-Kind aus Davids-Stamm / ꝛc.

1.

O Princeps stirpis Regiæ!
O Sponse meæ animæ!
Solamen, Salus, Vita!
Quas Tibi dicam gratias,
Quod adis sortes miseras,
Quid Tibi reddam ita?
Ruit,
Fluit
Sine cruce,
Sed in luce
Quod spectatur,

Quod Dux pacis diversatur.

2.

Repletus sum lætitiâ,
Nec scio, quæ dem munera,
O Puer diligende!
Cor meum, Puer Optime!
Mentemque, sensus accipe,
Amore me accende.
Junge,
Punge
Mentem meam,
Vt Te queam
Osculari,
Teque semper delectari.

3.

Sapphire! O Deliciæ!
Orion mane fulgide!
O Spes deperditorum!
O cœli ros! humecta me,
O pulchra Manna! monstra Te
In corde egenorum!
Lucem
Ducem
Nostræ vitæ
Ne dimitte,
Sed hanc ale:
Verbum tuum sit vitale!

AN-

ANNVS AD FINEM VERGENS.

XX.

Helfft mir GOtt's Güte preiſen /2c.

1.

LAudate veſtrum DEVM,
Dilecti Filii!
Cantate quoque meum
Ex corde memori,
Hoc ævo maximè,
Cum annus finem ducet,
Novusque ſol illucet,
In anni cardine.

2.

Exactè obſervemus
Divinam gratiam,
Nec parvi æſtimemus
Donorum copiam;
Volvamus animo,
Tot bonis nos donâſſe,
Vitamque conſervâſſe
Ab infortunio.

3.

Eccleſiæ dediſſe
Scholæque requiem:
Victumque præbuiſſe
Cuique utilem:

Volisque impigris
Thesauros erogâsse,
Interitum versâsse
A nostris terminis.

4.

Paterno ex favore
Concessit veniam,
Si pari ex rigore
Punisset animam,
Secundum crimina,
Nos dudum mors læsisset,
Casusque prostravisset,
Ob nostra scelera.

5.

Benigno patrum more
Nos fovet, dummodo
Nitamur Salvatore,
Et corde integro
Gemamus crimina,
Peccatis tunc ignoscit,
Lenemque pœnam poscit,
Et fert auxilia.

6.

Hæc cuncta prædicamus;
O NVMEN Optimum!
Quæ, PATER, impetramus
Per Tuum FILIVM:
Precamur porro Te,

Feli-

Felicem annum dabis,
A malis nos ſervabis,
Victumque tribue.

ANNI PRINCIPIVM.

XXI.

Nun wolle GOtt/daß unſer G'ſang.

1.

JAm faxit DEVS canticum
Fidele ſit ac hilarum,
Precantes anni proſperum,
Quod DEVS det, curriculum.
Halleluja.

2.

Cum planè nil durabile
Sit ſine DEI Numine,
Et duce hoc continuo:
Precamur hinc ex animo.
Halleluja.

3.

Vt Magiſtratus traditam
Exerceat juſtitiam:
Det ipſi DEVS ſedulum,
Prudentem, pium animum.
Halleluja.

4. Quod

4.

Quod placet DEO MAXIMO,
Et CHRISTO Ejus Filio,
Secundum leges conſulat,
Ne labor ipſi doleat.
Halleluja.

5.

Vt ſubditi obediant,
Honeſtam vitam tranſigant,
Et membrum membrum diligat,
Quo totum corpus valeat.
Halleluja.

6.

Cujusque domûs incolæ
Sint pia mente præditæ,
Ad DEI ſemper gloriam,
Qui domum dat & aream.
Halleluja.

7.

Vt ſervi ſint morigeri,
Et fidi & pacifici,
Nam CHRISTVS erat famulus,
Qui hoc ſcit, ſervus optimus.
Halleluja.

8.

In pace vivant conjuges,
Et lætas ferant, triſtes res:
Sint unum cor & ſpiritus,

Queis

Queis DEVS ſit propitius.
Halleluja.

9.

Juventus DEVM timeat,
Ejusque leges recolat,
Et creſcat in ſcientiis,
In laudem SVMMI NVMINIS.
Halleluja.

10.

Qui hoc ex corde excolit,
Fideliter hanc inſtruit,
Qui hanc ad DEVM educat,
Huîc DEVS vicem referat.
Halleluja.

11.

Vt DEVS ſervet filios
Cum filiabus ſobrios:
Det illis caſtum animum,
Vt carnis pellant impetum.
Halleluja.

12.

Queis corpus dolet morbidum,
Moleſtum eſt & otium,
His DEVS ſanet animam,
Donetque patientiam.
Halleluja.

13.

Ærumnis atque vinculis,

Op-

Oppreſſis & injuriis,
Ac perſecutionibus,
Vt opem ferat DOMINVS.
Halleluja.

14.

Vt panem det pauperibus
Quotidianum DOMINVS,
Et ea, quibus indigent,
Per JESVM CHRISTVM impetrent.
Halleluja.

15.

Qui manu ſua fabricant,
Vt ſe ſuosque nutriant,
His DEVS det frugiferam
Et largam alimoniam.
Halleluja.

16.

Qui multas opes poſſident,
Et hinc ſe curis deſtinent,
Hi quoque ſint benefici,
In DEO & ditiſſimi.
Halleluja.

17.

Et uſui ſint publico,
Egeno & auxilio:
In hoc & ſuos educent,
Vt quique ipſos celebrent.
Halleluja.

18. Vos

18.

Vos ſontes cœlum quærite,
Inſontes ſitis crimine:
Vos omnes pios faciat,
Cœlumque vobis aſſerat.
Halleluja.

19.

Qui nos in fide inſtruunt,
Doctrinas falſas opprimunt;
DEIQVE gerunt munera,
His DEVS adſit gratiâ.
Halleluja.

20.

Precamur hæc ex animo,
Vt placeamus DOMINO,
Honeſta gens, urbs ſplendida,
In cultu DEI ſeria.
Halleluja.

21.

Nos manu ſua protegat,
A malis & cuſtodiat,
Det multos annos proſperos,
Horumque certos reddat nos.
Halleluja.

EPI-

Digitized by Google

EPIPHANIA DOMINI.

XXII.

Was fürchſtu Feind / Herodes! ſehr / ꝛc.

1.

HErodes, cur es timidus,
Quod natus CHRISTVS DOMINVS?
Non arripit mortalia,
Qui regna dat cœleſtia.

2.

Secuti ſtellam Magi ſunt,
Qua luce Lucem adeunt:
Hoc terno dono clarum fit,
Quod DEVS, HOMO, REXQVE ſit.

3.

Jordanis Ipſe fontibus
Luſtratur Agnus cœlicus:
Peccata qui non edidit,
Peccata noſtra abluit.

4.

Mirâclum novum accidit,
Ex aqua vinum rubrum fit:
Bis terno aquæ cyatho
Rubeſcunt ſuo verbulo.

5.

PARENTI SVMMO gloria,
NATO-

NATOQVE sit laus maxima,
Canamus SANCTVM SPIRITVM,
Nunc & per omne seculum.

PASSIO ET MORS CHRISTI.

XXIII.

Christus/der uns seelig macht / ꝛc.

1.

CHRISTVS salus animæ,
Nulli dolo aptus,
Est nocturno tempore
Furis instar captus,
Ad malignos ducitur,
Falso accusatur,
Deridetur, spuitur,
Codex ut effatur.

2.

Horâ primâ angitur
Ab immoderato,
Vti latro sistitur
Ethnico Pilato,
Reum hunc qui pernegat
Mortis esse, gregem
Hinc cum Ipso ablegat
Ad Herodem Regem.

3. JE-

3.

Jesvs horâ tertiâ
Valdè flagellatur,
Et coronâ ſpineâ
Caput laceratur:
Eſt indutus purpuram
Ceu Rex, vapulavit,
Crucem & ad Golgatham
Ipſemet portavit.

4.

Horâ ſextâ figitur
Cruci denudatus,
In qua ſanguis funditur,
Orat, lamentatus,
Spectatores ganniunt,
Et adpendens latro,
Vsque probra veſtiunt
Velo ſolem atro.

5.

Horâ nonâ audiunt
Derelictum Christvm,
Mox fel Ipſi porrigunt
Cum aceto miſtum,
Clamitans tunc moritur,
Terra agitatur,
Templi velum rumpitur,
Petra conquaſſatur.

6. Cum

6.

Cum latronum vesperâ
Ossa erant fracta,
In Ipsius lancea
Latus erat jacta,
Ex quo sanguis, aqua et
Fluxit, ut effata
Hæc Joannes exhibet,
Nostra ob peccata.

7.

Corpus CHRISTI petitur
Ante noctem horâ,
A Josepho sumitur,
Atque sine mora
Sepulturæ traditur,
Precibus Judæi,
Vigili committitur,
Verba sunt Matthæi.

8.

JESV tua passio
Esto mihi index,
Vt sim sub obsequio
Vitiorum vindex:
Fac, ut tuam utiles
Mortem perpendamus,
Pro eâque humiles
Gratias agamus.

XXIV.

XXIV.

Hertzliebster JEsu! was hastu verbrochen / ꝛc.

1.

PErchare Jesv! quæ Tu deliquisti,
Judicium quod tantum subiisti?
Quæ culpa? qualis ratio tuorum
Est peccatorum?

2.

Salivâ, cædibus ludificaris,
Flagella sentis, spinis coronaris,
Aceto, cruci cum suspendereris,
Tu adimpleris.

3.

Tantarum quænam causa est pœnarum?
Ah! mea, heu! peccata sunt illarum,
Ah! Jesv! me merere sum confessus,
Quæ Tu perpessus.

4.

Miraculosum hoc pœnarum onus!
Pro ove luit Pastor ille bonus,
Persolvit herus debita, servorum
Loco suorum.

5.

Is moritur, qui bonos fructus edit,
Is vivit, qui Supremum Numen lædit:
Evadit homo, homo mortis reus,
Captatur Deus.

6.

A capite ad calcem non valebam,
Sed peccatorum vermibus scatebam:
Ad pœnas transiissem in infernum,
In sempiternum.

7.

O amor! quantus amor est amorum!
Qui traxit Te in viam hanc malorum:
Vivebam egomet delicioſus,
Tu doloroſus,

8.

Ah! Magne Rex, cuî nihil potest dari,
Quî satis possum fidem hanc effari?
Non cor excogitat, quæ sint effanda,
Quæ Tibi danda.

9.

Non meis sensibus est divinandum:
Queis tuum miserere sit æquandum:
Amorem tuum farciam quo pacto?
Quo quæso facto?

10.

Hoc unum, quo referre possum grates,
Si carnis moderantur voluptates,
Ne denuò cor meum irritetur,
Vt evagetur.

11.

Sed cum hoc non sit virium mearum,
Carnemque crucifigere amarum,
Hinc Spiritum da Tuum, qui me regat,
In bono tegat.

12. Amo-

12.

Amorem tuum tunc considerabo,
Et mundum propter Te nil æstimabo,
Præcepta tua semper, queis studebo,
In Te implebo.

13.

In Tui laudem omnia tentabo,
Nec crucem, nec dolores æstimabo,
Nec timor persecutionum tanget,
Nec mors me anget.

14.

Hæc cuncta quamvis parvi sint pendenda,
Non erunt penitùs à Te spernenda:
Ex gratia hæc à me acceptabis,
Nec recusabis.

15.

Si ibi, JESV, coram tuo throno
Cingetur caput meum serti dono,
Si Musicam spernemus hanc mundanam,
Pæanem canam.

RESVRRECTIO CHRISTI.

XXV.

Christ lag in Todes-Banden / ꝛc.

1.

IN morte CHRISTVS hæsit,
Pro nostris probris datus;
Sed

Sed vitam hinc regessit,
Ex morte suscitatus:
Gaudeamus gaudia,
Et grata DEO jubila
Canamus Halleluja.
Halleluja.

2.

Domare nemo mortem
Mortalium valebat,
Peccatum nostrum fortem
Sic pœnam commerebat:
Inde nos invasit mors,
Ac nos tenens dira sors
In ejus regno captos.
Halleluja.

3.

JESVS Dei Filius
Pro nobis satisfecit,
Peccata & propitius
Mortisque jus disjecit,
Ac vim sortis noxiæ,
Stante mortis specie,
Aculeis retortis.
Halleluja.

4.

Mors atque vita mirum
Tentârunt perduellum,
Vincendo vita dirum

Peremit hostem ellum:
In Scriptura legitur,
A morte mors editur,
Risuque trux humatur.
Halleluja.

5.

Agnus hîc est Paschatis,
A DEO qui mandatus,
In ara anathematis
Amore est assatus,
Postes tinctos sanguine
In tenet fides limine,
Grassator nos non tanget:
Halleluja.

6.

Festum sic nos agimus
Cum summa voluptate,
Quod Sol lucidissimus
Lucere facit gratè,
Qui pellucet gratiæ
Radiûm nos acie,
Peccati nox fugata.
Halleluja.

7.

Delicatè vivimus
In azymis statutis,
Fermenta abjicimus
A verbis his salutis,

Cibo

Cibo CHRISTO fruimur,
Cibo mentis utimur,
In nullo alio vita.
Halleluja.

XXVI.

JEsus Christus unser Heyland / der den Tod ꝛc.

1.

JESVS CHRISTVS, noster Salva-
Et mortis prostrator, (tor,
Resuscitatus,
Hinc abstulit reatus.
Kyrie éleison.

2.

Natus absque labe, diram
Bajulavit iram:
Ac nos placavit
Cum DEO, pacem paravit.
Kyrie éleison.

3.

Mors, nefas, Dis, vita, cœlum,
Cuncta stant per Ellum:
Ab hoc beentur
Omnes, quot hunc sequentur.
Kyrie éleison.

XXVII.

JEsus meine Zuversicht / ꝛc.

Mel. Meinen Jesum laß ich nicht.

1.

JEsvs mea ancora,
JEsvs meus mea vita,
Scio hoc, an anima
Mea non quiescat ita?
Quamvis longa mortis nox
Turbet me, ejusque vox.

2.

JEsvs vita utitur,
Ego vitam & videbo,
Fruar ubi fruitur,
Mortem ergo cur horrebo?
Anne caput deserit
Membrum? non, sed retrahit.

3.

Arcto spei vinculo
Arctè Ipsi sum connexus,
Fideique brachio
Latus Ejus sum complexus,
Nullâ possum mortis vi
Ab Eodem dividi.

4.

Cinis sum, in cinerem
Et revertar aliquando;

Sibi

Sibi tamen ſimilem
Reddet me reſuſcitando,
Vt ſim in perpetuis
Apud Eum gaudiis.

5.

Meâ hâc cuticulâ,
Vti firmus credo, cingar,
Caro hæc, hæc lumina,
Quando idem homo fingar,
Redemtorem optimum
Cernent in perpetuum.

6.

Idem meus oculus
Meum JESVM aſpectabit,
Ego, & non alius
Hunc Goëlem adamabit:
Solæ qualitates hæ
Debiles relinquent me.

7.

Heic ut pulvis compremor,
Ibi lætus commorabor;
Heic terreſtris conſeror,
Sed cœleſtis ſuſcitabor,
Animalis ſeminor,
Spiritalis excitor.

8.

Gaudeatis gaudia
Membra vos, quæ JESVS gerit,

Ne timete funera,
CHRISTVS vestrî memor erit,
Quando tuba sonum dat,
Per sepulchra resonat.

9.

Deridete tumulos,
Deridete orcum, mori,
Nam per auras vestro vos
Societis Salvatori:
Tunc de morbi tædiis
Læti triumphabitis.

10.

Modo corda tollite
Bonis ab his terræ stultis,
Vos jam Ei tradite,
Cui sociari vultis:
Sursum corda cupida
Ad æterna gaudia!

ASCENSIO CHRISTI.

XXVIII.

Auf dieſen Tag bedencken wir / ꝛc.

1.

AScensionis DOMINI
Hoc die recordamur:
Agentes grates NVMINI,
Nos

Nos velit hîc, precamur,
Servare reos, plurima
Ob animæ pericula,
Spe omni deſtitutos.
Halleluja, Halleluja.

2.

Laus DEO! via pervia
Eſt, ſunt aperti cœli:
Recludit CHRISTVS atria
Occluſa ope veli:
Qui credit, corde jubilat,
Et facit, ut ſe muniat,
Ad DOMINVM ſequendum.
Halleluja, Halleluja.

3.

Qui fugit ejus placita,
Huîc DOMINVS non placet:
Carnalis mens, ſanguinea,
Excluſa Regno jacet.
Hæc ſola fides efficit,
Quæ factis ſeſe exſerit
Ad DOMINVM directis.
Halleluja, Halleluja.

4.

Aſcenſum hunc incipimus,
PARENTEM dum videmus,
Viamque mundi fugimus,
Cum liberis manemus:

Deorſùm PATER, ſurſùm hi
Aſpiciunt intrepidi,
Ad usque dum coibunt.
Halleluja, Halleluja.

5.

Tunc dies erunt hilares,
Si DEO uniemur,
Et NATO ſuo ſimiles
Nos reddet, ut fatemur:
Tunc ſemper ſurgent maxima
Ex Summo Bono gaudia,
Queis DEVS nos reſervet!
Halleluja, Halleluja.

XXIX.

Chriſt fuhr gen Himmel / ꝛc.

1.

COelos DEVS reviſit
Chriſtus: quid inde miſit?
Cœleſte illud FLAMEN,
Eccleſiæ levamen.
Halleluja.

2.

Hic niſi abiiſſet,
Solator non veniſſet;
Sed ex Ejus abitu
Gaudemus SANCTO SPIRITV.
Halleluja.

3. Aſcen-

3.

Ascendit CHRISTVS stator
Et omnis mundi Salvator,
Halleluja, Halleluja,
Halleluja, Halleluja,
Halleluja.

FESTVM PENTECOSTES.

XXX.

Komm Heiliger Geist ꝛc.

1.

HVc NVMEN adsis flabile!
Favoris auram suffice,
Et tuorum corda lustra,
Hæc tange flammis liguſtra,
Dux! ducis alto lumine
Ad septa nos Ecclesiæ,
Dispares sermone gentes
Te confitemur, occinentes
Halleluja.

2.

Lux sacra! Vis solaminis!
Fer scita lucis languidis
Da Polarcham corde nôsse,
Et vocare Patrem posse:
Fons! fontis undam mortui

Averte plebi simplici!
Est Christus Magister: Isti
Constante simus mente misti!
Halleluja.

3.

Spiramen! Ardor! Vnctio!
Fac corde simus strenuô,
Recreantis vincla ferre:
Nil timere fata terræ:
Pax! pace carnem præpara,
Vt stet moveri nescia
Da fortiter militemus,
Ad Te per arcta transvolemus. Halleluja.

XXXI.

Nun bitten wir den H. Geist / ꝛc.

1.

JAm petimus SANCTVM SPIRITVM,
Vt veram fidem det plurimùm,
Vt nos servet ritè
In fine vitæ,
Nos exulantes,
Ab hinc migrantes.
Kyrie éleison.

2.

Tu cara Lvx nos illumines,

JE-

JESVMQVE solum noscamus des,
In Eo maneamus,
Et Hunc colamus,
Qui dedit gratis
Jus civitatis.
Kyrie éleison.

3.

Tu dulcis Amor nos prospera,
Amoris ignem exsuscita,
Vt corda demus,
Et nos amemus,
Pacem colamus,
Consentiamus.
Kyrie éleison.

4.

Tu Consolator Permaxime,
Ne mortem tremamus, cohibe,
Nec mens infausta
Sit, vi exhaustâ,
Vel hoste tritam
Damnante vitam.
Kyrie éleison.

FESTVM SS. TRINITATIS.

XXXII.

Allein GOtt in der Höh sey Ehr/ ꝛc.

1.

IN celsis DEO gloria,

Et pro favore grates,
Quod jam non, nec in secula
Nos tangent ullæ clades,
In nobis DEVS complacet,
Æterna pax jam obtinet,
Jam omnes lites silent.

2.

Laudamus, adoramus Te,
Honori Tuo grates!
Quod PATER omni tempore
In throno cunctis pates,
Immensus es potentiâ,
Implentur tua placita:
Felices nos ob Herum!

3.

O JESV Vnigenite,
Parentis tui mitis!
Malorum sponsor optime,
Sopitor nostræ litis!
Sanctissime Θεάνθρωπε,
Nos audi in discrimine,
Nostrique miserere!

4.

O Summum Bonum, SPIRITVS!
Fac, Optime Solator,
Ne noceat diabolus
His, JESVS quos Salvator
Redemit suo sanguine,

Æru-

Ærumnas noſtras remove:
Quod nos à Te ſperamus.

XXXIII.

GOtt der Vater wohn uns bey / ꝛc.

1.

DEvs PATER! tege nos,
Perire pertimemus!
Criminis vi territos
Si liberas, valemus:
Pelle fraudes tartari,
Fidemque firmiorem,
Fiduciæque florem,
Speique da ſaporem!
Te trahamur penduli
Cum gente Chriſtiana:
Inſtructis arte vanâ,
Prendamus arma ſana,
Amen eſt vox Cœlitis,
Spes Halleluja! credulis.

2.

JESV CHRISTE! tege nos,
Procella quos vorabit:
Gratiæ ſed anxios
In morte ſpes beabit.
Inferis nos eripe
Hæc corda Tu puſilla,
Furente fors Achillâ.

Feli-

Felice ſpe focilla.
Turba ſimus nixa Te
Cum ſanctiore gente
Draconem ſupprimente
Sotera Te ſequente:
Amen addunt Cœlites,
Eſt, Halleluja! ſalva res!

3.

SANCTVM FLAMEN! tege nos,
Pericla ſtyx minatur:
Nocte labis erutos
Beata mors ſequatur;
Vince nobis tartara,
Fac vera nos amantes,
Et rupe Te cubantes,
Tibique corda dantes.
Noſtra Tu ſis anchora!
Da, ſtet corona tota,
Cadatque ſtyx remota
Per verba, perque vota.
Fertur Amen cœlitus,
Nos Halleluja pſallimus!

DECALOGVS.

XXXIV.

Diß ſind die Heil. Zehen Gebott/ ꝛc.

1.

HIc ſanctus eſt Decalogus,
Quem

Quem nobis dedit DOMINVS,
Per manum Moſis famuli,
In celſo monte Sinai.
Kyrie éleiſon.

2.

Sum ſolus tuus DOMINVS,
Non ponè me ſit exterus,
Me prorſus uno nitere,
Ex toto corde dilige.
Kyrie éleiſon.

3.

Non ore vanum ſumito
JEHOVÆ Nomen perfido,
Nec dicta facta prædica,
Ni Dei ſint juſtiſſima.
Kyrie éleiſon.

4.

Sit ſanctus dies Sabbathi,
Quieſcas, & domeſtici,
Quo opus tuum deſinat,
Rem Deus tecum habeat.
Kyrie éleiſon.

5.

Honora, atque ſubditus
Sis tuis & Parentibus,
Si manu illis ſervias,
Longævitatem habeas.
Kyrie éleiſon.

6. Ira-

Digitized by Google

6.

Iratus ne occidito,
Nec livor, nec ſit ultio;
Manſuetus ſisque tolerans,
Hoſtique tuo commodans.
Kyrie éleiſon.

7.

Ne torum tuum polluas,
Nec meretrices cupias,
Sit caſtitas, modeſtia,
Decensque continentia.
Kyrie éleiſon.

8.

Nec bona rape extera,
Nec fœda quære fœnora;
Sed manum tuam aperi
Ad dandum tuo pauperi.
Kyrie éleiſon.

9.

Ne teſtis unquam fallito,
Mendacia nec ſpargito:
Inſontis æqua dicito,
Iniquiora condito.
Kyrie éleiſon.

10.

Vxorem, domum proximi
Ne cupe, quæque ſunt ei,
Quin huic velis talia,

Quæ

Quæ tibi velles qualia.
Kyrie éleiſon.

11.

Præcepta hæc ſunt tradita,
Vt tua ſcias crimina,
O homo, diſcas debitè
Et coram DEO vivere.
Kyrie éleiſon.

12.

Nos juvet CHRISTVS DOMINVS,
Qui eſt pro nobis mortuus,
Sunt facta noſtra perdita,
Meremur nil quam fulmina.
Kyrie éleiſon.

XXXV.

Menſch! wilt du leben ſeeliglich ꝛc.

1.

SI vis beatè vivere,
Et coram DEO ſiſtere,
Fac, mandat quæ Decalogus,
Quem nobis dedit DOMINVS.
Kyrie éleiſon.

2.

Me ſolum colas DOMINVM,
Nec venereris alium:
Cor tuum Mihi fidito,
Quæ impero, tu facito.
Kyrie éleiſon.

3.

Tu nomen meum celebres,
Me in adverſis invoces:
Sit ſanctum tibi Sabbathum,
Ad opus Mihi congruum.
Kyrie éleiſon.

4.

Parentibusque vel poſt Me
In omnibus obſequere:
Ne cæde, ne iraſcere:
Torumque ſerva integrè.
Kyrie éleiſon.

5.

Ne quid fureris turpiter:
Teſteris nec mendaciter:
Nec conjugem, nec cetera,
Quæ proximi, deſidera.
Kyrie éleiſon.

FIDES APOSTOLICA.

XXXVI.

Wir glauben all an einen GOtt/ ꝛc.

1.

IN unum DEVM credimus,
Vniverſi conditorem,
Qui dedit ſe infantibus
Cun-

Cunctorum noſtrum ſatorem:
Hic vult nobis providere,
Corpus & mentem fovere,
Cuivis malo vult mederi,
Adverſis rebus tueri,
Procurat Hic, & excubat,
Nutuque cunctis imperat.

2.

In JESVM CHRISTVM credimus,
Dominum noſtrum, qui pri-
Æternus Patre genitus (dem
Majeſtate DEVS idem.
Ex Mariæ natus alvo,
Eſt homo pudore ſalvo:
In fide per Sacrum Flamen;
Tulit nobis levamen:
Suſpenſus eſt, & mortuus,
Deoque vivit excitus.

3.

In SANCTVM FLAMEN credimus,
Verum Deum, & motorem,
Quem Paracletum dicimus,
Atque munerum datorem.
Chriſtianos orbe cœtus
Servat una mente lætus:
Hîc peccata condonantur,
Et mortui reſuſcitantur:
Poſt fata hæc ſunt reliqua
Æterna nobis ſecula. RE-

REDEMTIO.

XXXVII.

Nun freut euch lieben Christen G'mein / ꝛc.

1.

COngratulemur intimè,
Ex corde gestiamus:
Dulcissimis Ecclesiæ
Concentibus canamus,
Quæ DEVS in nos contulit,
Et quanta mira præstitit,
Quantique comparavit.

2.

Tenebar captus Satanæ,
In morte deperîram:
Torquebar semper crimine,
Sub DEI natus iram:
Mergebar & profundius,
Terebam tempus nequius,
Obsessus à peccato.

3.

Nil bona mea opera,
Nil, planè nil valebant,
Nec mea Te arbitria,
Te Deum, diligebant:
Extrema conclamata sors
Manebat, & funesta mors,

Ad

Ad orcum me iturum.

4.

Hinc ab æterno animæ
JEHOVAH eſt miſertus,
Et ſuæ memor gratiæ,
Me liberare certus:
Cor appulit mî patrium,
Profectò perquam ſerium,
Nec optimo pepercit.

5.

Ad ſuum dixit Filium:
Jam tempus eſt dolendi,
Deſcende, meum coreulum!
Saluti ſis egenti:
Hunc libera de crimine,
Amaram mortem oppete,
Ipſique redde vitam.

6.

Deſcendit huc è cœlicis,
Vt Eum juſſit Pater:
Fit partus caſtæ Virginis,
Vt meus eſſet Frater:
Virtutem ſuam exuit,
Vilemque formam induit,
Capturus hâc draconem.

7.

Me, dixit Ille, nitere,
Jam tu beatus eris:

Nam

Nam totum trado Me pro te,
Luctabor tunc cum feris:
Sum tuus, tuque meus es,
Et ubi sum, tu habites,
Nec hostis nos disjungat.

8.

Cruorem meum fuderint
Raptores meæ vitæ:
Quod, pro te fero, fecerint,
Hoc tene firma fide:
Nam vivus mortem sorbeo,
Et justus crimen perfero,
Hinc tu beatus factus.

9.

Ad Patrem scando cœlicum,
Et hanc relinquo vitam,
Vt mihi sit dominium,
Et Paracletum mittam,
Qui te afflictum mitiget,
Et qui me notiorem det,
In veritate ducat.

10.

Quod feci atque docui,
Hoc & à te geratur:
Vt regnum tui Domini
Cum laude augeatur:
Et cave leges hominum,

Quæ

Quæ vitæ sunt exitium:
Hæc tandem tibi linquo.

JVSTIFICATIO EX FIDE.

XXXVIII.

Es ist das Heyl uns kommen her / &c.

1.

EX mera DEI gratia
Est nobis salus data,
Nil quicquam juvant opera,
Nec ad beandum nata;
Sed FIDES Christum aspicit,
Qui nobis cuncta meruit,
Dum Mediator factus.

2.

Quod DEVS lege voluit,
Non poterat impleri:
Hinc ira DEVM subiit,
Cepitque multa queri:
Exire carne Spiritus,
Nolebat, legi subditus:
De nobis erat actum.

3.

Putabas falsò, MAXIMVM
Dedisse legem suam,
Vt serves Ejus placitum,

Secun-

Secundum mentem tuam:
Sed est ceu speclum quodpiam,
Quod indicat reconditam
In carne pravitatem.

4.

Facultas, quæ hanc poneret,
Non tanta suppetebat,
Cum sæpe quis præsumeret,
Plus mali pervigebat:
Nam DEVS damnat opera
Hypocritarum, vitia
Dum carni sunt innata.

5.

Implendus est Decalogus,
Aut homo perderetur,
Hinc missus DEI FILIVS,
Qui homo nasceretur:
Hic omnem legem præstitit,
PATRISQVE iram posuit,
Quâ omnes tenebamur.

6.

Si est impleta denique
Per Hunc obedientem:
Quâ FIDES jam sit indole,
Repone intra mentem:
O CHRISTE! Sola Tua mors
Est sola meæ vitæ sors,
Pro memet Tu solvisti.

7. Non

Digitized by Google

7.

Non ambigo hæc equidem,
Sunt vera, quæ fateris:
Vis, desperare neminem,
Quod nunquam mentieris:
Qui credit, & immergitur
Baptismati, salvabitur,
Nec morte morietur.

8.

Hic coram Deo justus fit,
Qui Fidem hanc prehendit,
Hæc fides sese exserit
Per facta, ad quæ tendit,
Se DEO fides sociat,
Et proximo se amor dat,
Si es ex DEO natus.

9.

Notescit lege vitium,
Mens conscia calcatur;
Succurrit Evangelium,
Reumque consolatur:
Ad crucem, ait, serpito,
Non quies in Decalogo
Est cum ejusdem factis.

10.

Profectò bona Opera
Ex vera fide crescant,
Nam fides esset mortua,

Digitized by Google

Si Opera langueſcant;
At SOLA FIDE juſti ſunt,
Vicino facta ſerviunt,
Queis fidem perſentimus.

11.

Spes tempus ſpectat, SVMMVM (ENS
Promiſſa quæ effatur;
Nec DEO quid præfiniens,
Quâ horâ compleatur:
Scit Ipſe tempus optimum,
Expersque agit fraudium:
Hæc Ipſi confidamus.

12.

Si ſimulat, hoc nolle ſe,
Ne ſinas te terrere,
Nam ubi adeſt optimè,
Non ibi vult patere:
Vox Ejus eſto certior,
Licetque neget tuum cor,
Ne tamen verearis.

13.

Sit laus & honos TRIADI,
Pro hac benignitate,
PARENTI, NATO, FLAMINI:
Abſolvat DEVS gratè
In nobis ceptam operam,
In Majeſtatis gloriam,
Vt Huîc ſit Sanctum Nomen.

14. Ejus-

Digitized by Google

14.

Ejusdem Regnum advolet:
Quod vult, ubique cedat:
Diurnos panes nobis det:
Nos debitum non lædat,
Vt facimus debentibus:
Inducat haud conflictibus:
A malo nos absolvat.

*
* *

15.

Nam Suum est imperium,
Et potens vis actorum,
Et Nomen Majestaticum,
In secla seculorum:
Quæ petii, non dubito,
Quin certus acquisivero:
Queis fretus dico Amen.

ORATIO DOMINICA.

XXXIX.

Vater unser im Himmelreich / ꝛc.

1.

TV noster es Cœlipater,
Qui fratres esse æquiter
Nos vis, & invocare Te,

Piasque preces fundere;
Fac, ne ab ore dummodo,
Sed corde fiant ſerio.

2.

Sit Nomen Tuum celebre,
Fac Verbum purè tradere,
Sanctèque nosmet vivere,
Tuoque dignos Nomine:
Averte falſa dogmata,
Seducta reduc pectora.

3.

Jam Regnum Tuum veniat,
Et in æternum maneat:
Ac beet Sanctus Spiritus
Nos donis ſuis pluribus,
Vim frange magnam Satanæ,
Servator ſis Eccleſiæ.

4.

Fiantque tua, quæque vis,
In terra ut in cœlicis,
Speremus crucis tempore,
Obedientes quaque re:
Compeſce carnem tua vi,
Rebellem tuo nutui.

5.

Da panem nobis hodie,
Vitæque ſunt neceſſe quæ:
Nec bella gliſcant, jurgia,

Nec

Nec fames, nec contagia:
Secura pax & requies,
Non opum ſint cupidines.

6.

Remitte nobis debita,
Ne corda reddant turbida;
Perinde debitoribus
Vt debitè remittimus:
Nos para ad officia,
In charitate mutua.

7.

Tentationem auferas,
Nos quando tentat Satanas,
Siniſtrè atque dexterè,
Da fortiter reſiſtere,
Tunc fides ſit exercitus,
Currusque SANCTVS SPIRITVS.

8.

Sed nos à malo libera,
Afflicta jam ſunt tempora:
A morte tetra vindica,
Præſensque horâ ultimâ
Sis, daque pium exitum,
Aſſume noſtrum ſpiritum.

9.

Amen, hæc ſunt veriſſima,
Hanc fidem noſtram robora:
Ne fluctuemus protinus,

Quæ hactenus rogavimus,
In tuo verbo fidimus,
Et tandem Amen dicimus.

SS. BAPTISMVS.

XL.

Christ unser HErr zum Jordan kam.

1.

JOrdanem adit Dominvs,
A Patre huc vocatus,
Baptismo Jani traditus,
Ad munus confirmatus,
Vt heic lavacrum conderet,
Nos lavet à squalore,
Necemque hîc submergeret
In vulnerum cruore,
Novamque vitam daret.

2.

Baptismum Ipse Dominvs
Quid dicat, audiemus:
Quod Christiani credimus,
Et hæreses cavemus:
Est, inquit, aqua fluminis,
Nec nuda prorsus ista;
Sed verbis juxta positis,
Vi Spiritvqve mista:

Hic

Hic verus eſt Baptiſta.

3.

Teſtatus nobis clarius
Eſt typis, dictis, ita:
Vox ipſa PATRIS cœlitus
Ad fluvium audita:
En! huncce meum FILIVM
Dilectum, habeatis
Hunc, hunc commendatiſſi-
Vt eum audiatis, (mum,
Ipſique pareatis.

4.

Hîc ſtat & Ipſe FILIVS,
In carne ſua pura,
Columbæ SANCTVS SPIRITVS
Deſcendit in figura:
Id monet mentes dubias,
Quod ſi fit hoc lavacrum,
Baptizet Alma TRINITAS,
Et Ipſa inter Sacrum
Hunc præſens ſit Baptismum.

5.

Emittit CHRISTVS famulos,
Docete omnes gentes:
Curate ſorde perditos,
Vt fiant pœnitentes:
Qui credit & abluitur
Salutem is habebit

Renatus ille dicitur,
Nec mortem plus videbit,
Sed vitam obtinebit.

6.

Non credens huic gratiæ,
Peccata ſua luet,
Damnatus in voragine
Inferni civis cluet:
Nec ſanctitas, nec operis
Hunc quicquam facit ſalvum,
Peccatum ob Originis,
Quo natus eſt per alvum:
Conamen omne calvum.

7.

Ocellus, ut fit, aſpicit,
Effuſio liquoris,
Interna fides percipit
Hanc CHRISTI vim cruoris:
Cruoris rubra flumina
Videntur hac tuente,
Quæ cuncta ſanant vulnera,
Inflicta à parente,
Et quovis infligente.

SS. COENA.

XLI.

JEſus Chriſtus unſer Heyland/ der von uns ꝛc.

1.

JESVS CHRISTVS nos ſalvavit,
Iramque DEI ſedavit,
Paſſionis ſuæ vis
Redemit nos ab inferis.

2.

Hoc ut ſemper eſſet tritum,
Ordinavit Ipſe ritum:
Pane veſci corpore,
Vinoque frui ſanguine.

3.

Quisquis hanc menſam requirit,
Probet, an paratus îrit;
Qui indignus advenit,
Ad necem vitam accipit.

4.

Tu lauda Deum Parentem,
Te cibo tali paſcentem:
Tuum ob flagitium
In mortem dedit Filium.

5.

Hoc fide certum putato,
Hæc parata tribulato

Cordi esse fercula:
Si mens est quoque anxia.

6.

Ergo talibus beandum
Languidum cor est vocandum,
Abstine, si sanus es,
Vel malum munus referes.

7.

Egeni, ait, venite,
Vt vos Ipse soler ritè:
Non eget sanus Medico,
Ars ejus fit ludibrio.

8.

Si potuisses quid mereri,
Cur tuli Memet deleri?
Mensa hæc nil proderit,
Si in te quædam salus sit.

9.

Quando credis corde CHRISTVM,
Confiteris ore Istum:
Tunc paratus satis es,
Et cibo hôc cor recrees.

10.

Adde fructus, unitatem,
Proximique charitatem,
Qua juvetur indigus,
Vt te adjuvit DOMINVS.

XLII.

Digitized by Google

XLII.

Schmücke dich / O liebe Seele! ꝛc.

1.

ORna te, ô mens dilecta!
Atra linque mali tecta,
Prodi nunc in lucem claram,
Et oſtenta pompam raram:
Devs, qui favore ditat,
Te convivam nunc invitat,
Penes quem eſt dominari,
Jam in te vult diverſari.

2.

Inſtar velox i ſponſorum,
Adi tui Sponſi torum,
Verbo qui favoris ſui
Pulſat fores cordis tui,
Illas ſtatim Ipſi pande,
Et affare illum blandè:
Veni, Sponſe, oſculabor,
Teque ſemper amplexabor.

3.

Caras merces ſi ememus,
Vllis nummis haud parcemus;
Verum Tu pro donis verè
Nullos nummos vis habere,
Quum, ſi ad fodinas imus,
Tale æs non reperimus.

Quod cruorem munerabit,
Et hanc Mannam compenſabit.

4.

Ah! quî fames urget mentem,
Ad φιλάνθρωπον clementem!
Quoties ah! valdè tremo,
Vt hoc cibo fruar, gemo!
Ah! quî aret guttur totum,
Sitit vitæ Ducis potum!
Opto, ut coujungat meum
Os cum DEO me per DEVM.

5.

Facies mox lætas, mœſtas
Mox præſentat nunc tempeſtas:
Hujus cibi elementum,
Et arcanum Sacramentum
Animus mox ſentit meus,
Ceu magnalia, O DEVS!
Quis mortalem poteſt fari,
Qui hanc poſſit vim ſcrutari?

6.

Nullum! Intellectus plangit,
Hoc mirâclum nunquam tangit,
Panis quod non conſumatur,
Licet myrias fruatur;
Vitis & quod cum liquore
CHRISTI fruimur cruore:
O! abyſſum Sacramenti,

No-

Digitized by Google

Notam Deo ſapienti!

7.

Jesv, vitæ meæ Lumen!
Jesv, gaudiorum Numen!
Jesv, ſcope Tu meorum!
Vitæ fons & lux ſenſorum!
Supplex peto, fac benignè,
Vt hoc cibo fruar dignè,
Quo laus tua ſemper creſcat,
Mensque mea convaleſcat.

8.

Ex amore reliquiſti
Cœlum, & huc deſcendiſti,
Et pro nobis obiiſti,
Sponte vitam reddidiſti,
Dum cruorem tùm libenter
Perfudiſti, quo frequenter
Fruimur jam jam potantes,
Tui ſemper recordantes.

9.

Jesv, vere panis vitæ!
Vt incaſſum, ne permitte,
Vel damnoſè imparatus
Sim ad menſam invitatus:
Fac, ut per hanc mentis eſcam
In amore Tui creſcam,
Vt &, ceu jam in hoc ſolo,
Hoſpes tuus ſim in polo.

Digitized by Google

XLIII.

GOtt ſey gelobet und gebenedeyet/ꝛc.

1.

LAudatus DEVS, ſitque benedictus,
Qui nobis præbuit victûs,
Et carnem ſuam, ſuum & cruorem,
Quod nobis ſit in vigorem.
Kyrie éleiſon.
Per Corpus tuum ſacratum,
Ex Maria Virgine natum,
Et ſacrum cruorem
Leva nobis laborem.
Kyrie éleiſon.

2.

Pro nobis datum Corpus hoc ſciamus
In mortem, ut nos vivamus:
Non majus donum poſſet eſſe cujus,
Quo recordemur hujus.
Kyrie éleiſon.
DOMINE! Tu nos ex amore
Sanaſti mirè cum cruore,
Debita exſolviſti,
Gratiamque dediſti.
Kyrie éleiſon.

3. Det

3.

Det DEVS nobis gratias nunc pias,
Vt eamus Ejus vias:
Amore arcto invicem fruamur,
Vt digni cibo utamur,
Kyrie éleiſon.
Ne SPIRITVS disrumpat nodum
O DEVS! ut ſervemus modum:
Chriſtianis bonis
Sit nervus unionis.
Kyrie éleiſon.

XLIV.

Danck ſagen wir alle.

Gregorii Magni.

GRates nunc omnes
Reddamus Domino Deo.
Qui ſua nativitate,
Nos liberavit
De diaboli poteſtate:
Huic oportet ut canamus cum Angelis
Semper Gloria in excelſis!

POENITENTIA.

XLV.

Ach GOtt und HErr! wie groß ꝛc.

1.

JEHOVAH, ah!
Quot pondera Sunt

Sunt heu! à me peccata!
Ne unicus
Eſt validus
Tollendi heic patrata.

2.

Si anxiè,
Hoc tempore,
Ad finem mundi irem;
Aſt terminum
Tot onerum
Haud ibi reperirem.

3.

Adcurro Te,
Ne mittas me,
Vt jus efflagitavit:
Ne æſtua,
Jus revoca,
Me Chriſtus expiavit.

4.

Sit ita, ſit,
Quod pœnâ fit,
Flagitia ſequatur:
Heic incipe,
Heic repete,
Heic pœna finiatur.

5.

Da patiens,
Obediens

Cor

Cor, noli jure uti:
Ne murmur ſit,
Fac, ſæpè fit,
Quod noceat ſaluti.

6.

Tractato me,
Vt juvat Te,
Lubenter pœnas dabo;
Si modo Te
A facie
In cœlo aſpectabo.

7.

Vt pavida
Avicula
In antra ſe abſcondit,
Si nubilat,
Si fulminat,
Nos ipſos timor condit.

8.

Sic DOMINE!
Abſcondo me
In vulnerum hiatus;
Si crimina
Sunt effera,
In his aſylum ratus.

9.

His validè
Infigo me

Exce-

Digitized by Google

Excedam licet vitâ;
Sic adero
TER MAXIMO
In ſecla infinita.

10.

Hinc laudibus
Sit FILIVS
Cum PATRE cultum FLAMEN!
Fiducia!
Αὖσο ἔφα.
Beatus credens, Amen.

XLVI.

Allein zu dir HErr JEſu Chriſt / ꝛc.

1.

IN ſolo, JESV CHRISTE, Te,
Quamdiu vivam, ſpero:
Tu ſolus es, qui ſalvas me,
Te ſine nullus ero.
Non quisquam homo genitus,
Nec eſt electus Angelus,
Qui trahat me periculo,
Te invoco,
In quo ſpem omnem colloco.

2.

Me tanta gravant crimina,
Et pœnitet me corde,
Ab his me, quæſo, libera.

Me-

Merente Tua morte:
Ah! PATRI Tuo monſtra me,
Feciſſe pro me ſatis Te;
Et fio liber criminum,
Hôc fretus ſum,
Quod abs Te eſt polliticum.

3.

Ex gratia ſalvificam
Fiduciam largire,
Vt Tuam in me valeam
Dulcedinem ſentire:
Te amem primum omnium,
Meumque, ceu me, proximum,
In fine vitæ juves me,
Satanicæ
Vt à me cedant machinæ.

4.

Laus DEO ſit TER MAXIMO,
PARENTI bonitatis,
Et JESV Ejus Filio,
Qui præſto ſit beatis,
DEOQVE SANCTO FLAMINI,
Qui nobis ſit levamini:
Vt placeamus OPTIMO,
Hoc fluido
Et in futuro ſeculo.

XLVII.

Digitized by Google

XLVII.

Aus tieffer Noth ſchrey ich zu dir/ ꝛc.

1.

EX inferis acclamo Te,
Exaudi me vocantem,
Benignas aurés admove
Ad ſupplicem orantem,
Nam ſi iniqua reſpicis,
Patrata nobis ſingulis:
Quis coram Te manebit?

2.

Nil niſi valet gratia,
Hinc debita remitte,
Sunt facta noſtra perdita,
In ſanctitate vitæ:
Te coram non eſt gloria,
Sed cunctis, mente territa,
Favore Tuo ſtandum.

3.

Hinc mea ſpes in DEO ſit,
Non dignitate mea,
Mens mea illum recipit,
Benignitate eâ,
Quam ejus Verbum porrigit,
Solamen hoc & turris ſit,
Huîc ſemper immorabor.

4.

Et licet mora veſperam,

Et

Et rurſus diem ferat;
Mens tamen mea gratiam
JEHOVÆ non deſperat:
Hoc faxit Jacob optimus,
Renatus ex vi SPIRITVS,
DEVMQVE præſtoletur.

5.

Sint multa nobis debita,
Sunt plures DEO grates,
Abſtergit manu ſedula
Quascunque pravitates:
Hic ſolus Paſtor optimus,
Hic Iſraëlem omnibus
Abſolvet à peccatis.

6.

Ad PATREM laus cum FILIO,
Ad FLAMEN perferatur:
Qui eſt ut à principio,
Vt ſuas, largiatur,
Pes noſter vias ineat,
Ne error menti noceat:
Qui hæc vult, dicat Amen.

XLVIII.

JEſu/ der du meine Seele / ꝛc.

1.

JESV, ſalus animarum!
Morte Tua pallida,

Ex

Ex inferno tenebrarum
Scelerumque copia,
Fortiter me rapuiſti,
Idque noſſe me feciſti
Tuis in Oraculis,
JESV, mea rupes ſis!

2.

Tu quæſiſti, Paſtor fide!
Perditas oviculas,
Dum currebant exquiſitè
In inferni latebras:
Quin Tu Victor inferorum,
Triſtem gregem peccatorum,
Vocas ad metanœam,
Meritò ut veniam.

3.

Filius transgreſſionum
Ah! aberro undique,
Nullum ago quam patronum
Omnis injuſtitiæ:
Meus auſus, meus niſus
Eſt adverſus Deum riſus:
Malus vivo penitùs,
Atque ſemper impius.

4.

JOVA! mihi eſt fatendum,
Boni nil poſſideo:
Id, quod VELLE eſt dicendum,
Men-

Menti meæ explico;
Carnem verò refrænare,
Atque bona perpetrare,
Omni vi haud impetro:
Id, quod nolo, facio.

5.

Verum, Jova! quot peccata
Egerim, non memini:
Mea mens eſt lacerata
Furibundâ culpæ vi:
Curis meum cor langueſcit,
Dona, ah! quod non pateſcit,
Ne delictum reſpice,
Quod ad iram movit Te.

6.

Jesv! mea deleviſti
Debita cum ſanguine:
Fac, Redemtor! meæ triſti
In ſalutem animæ:
Et cum ita vulneratus,
Ipſam crucem amplexatus,
Fac me tandem liberum,
Tibimet mancipium.

7.

Cumque terror infernalis,
Atque furens Satanas,
Mihi ſæpe ſit lethalis,
Pugnas ciens aſperas,

Ah!

Ah! Te in arena ſiſte,
Vt ſuccumbat hoſtis iſte,
JESV, meus clypeus!
Pelle hoſtis impetus.

8.

Ictus Tui rubro tincti,
Clavi, ſertum, tumulus,
Pedes Tui arctè vincti
Vertant omnes ſtrepitus:
Dolor Tuus, ſudor, fluor,
Vibex Tua, flagrum, cruor,
Punctus, angor, tormina,
Mihi ſint ſolatia!

9.

Si me ſiſtam accuſatus
Olim coram Judice,
Ah! ſis meus Advocatus,
Cauſas meas perage:
Tibi ſoli jus eſt datum,
Ne me tangat hoc effatum:
Ad ſiniſtram poſiti
Eſtis vos haud agniti.

10.

Tu ſcis meos cruciatus,
Tu ſcis mea tormina,
Corde nil ſum amplexatus,
Niſi Tua funera:
Hocce meum cor dolore,

Tuo

Tuo tinctum & cruore,
Fluxit qui è latere,
Trado Tibi, DOMINE!

II.

Scio, meum quod mulcebis
Inquietum animum:
Fide Tua adimplebis,
Quod à Te eſt proditum:
Ne, quousque aſpectatur
Terra, quisquam moriatur,
Vivat ſed perpetuò,
Modò credat ſeriò.

12.

Credo; juva laſſiorem,
Ne ſuccumbam, prohibe:
Tu me reddas fortiorem,
Mortis in diſcrimine:
Sum favore Tuo niſus,
Donec à me eris viſus,
JESV, poſt certamina,
In æterna gloria.

XLIX.

Wo ſoll ich fliehen hin / ꝛc.

I.

QVo ego fugiam
Ob tantam ſarcinam
Meorum peccatorum?

Bayerische Staatsbibliothek München

Quis

Quis liberator horum?
Si omnis vellet mundus,
Hoc non auferret pondus.

2.

O JESV Optime!
Jubente Ipſo Te,
En! mœſtam meam mentem,
Ad Te advenientem,
Ex gratia in illam
Effunde parvam ſtillam.

3.

Hic tuus filius
Emitto funditùs
Errores pœnâ ſontes,
Horrendos planè, fontes!
In vulnerum tuorum,
Quæ ſalus ſunt meorum.

4.

In tuo ſanguine,
Ruborum flumine,
Abſterge tot reatus,
Si meum cor ſolatus.
Nec illos cogitabis,
In mare proturbabis.

5.

Solantem ſcio Te,
Quum redemiſti me,
Peccata, quæ tuliſti,

Sepul-

Sepulcro contexiſti,
Heic illa obſerata
Æterna manent fata.

6.

Sim licet nequior,
Sed tamen liberor,
Si ſanguinem prehendo,
Et Tibi hunc oſtendo:
Qui modo ad Te adit,
Angorem mox evadit.

7.

Permultis egeo;
Quæ tamen cupio,
Sunt cuncta mihi data,
Per ſanguinem parata,
Queis vinco anguem, fatum,
Infernum & peccatum.

8.

Si omnes Zabuli
Sint adverſarii;
Non tamen deſperabo,
Hos Tecum profligabo,
Oſtendo hunc cruorem,
Et ponent mox furorem.

9.

In Tuo ſanguine
Eſt tantum gratiæ,
Vt minima guttarum

Hunc mundum dare clarum,
Quin & draconis morſus
Sanare queat prorſus.

10.

Hinc in Te unicè
Innitor DOMINE!
Non poſſum interire,
Sed Regnum introire,
Quod mihi paraviſti,
Dum ſpiritum liquiſti.

11.

Regasque animum
Per Tuum SPIRITVM,
Ad omnia vitanda,
A Te me ſeparanda,
Fac, corporis Tuique
Vt membrum ſim ubique.

L.

Straff mich nicht in deinem Zorn/ꝛc.

1.

NE me tuus arguat
O Jehova! furor,
Neque me eripiat
Ira, quâ aduror!
Læſi Te
Crimine,
Cadant ignes magni

Per

Per cruorem Agni.

2.

Tui mors eſt immemor,
Orcus eſt ingratus,
Sis Tu meus creditor,
Tolle cruciatus;
DOMINE
Vt & Te
Laudem ſine mora
Illâ novâ horâ.

3.

JOVA ah! revertere,
Debilem conforta,
Patienter tracta me,
Oſſa ſunt contorta:
Proſpice
Animæ
Succo gratiarum,
Tolle vim noxarum.

4.

Oſſa ah! en vacua,
Irâ quæ ſiccata!
Impotens eſt anima
Opem præſtolata;
Conteror,
Suffocor
Lacrymis in lecto,
Lacrymis ſub tecto.

Digitized by Google

5.

Ah! defagitatus ſum
Tanto cruciatu:
Meum cor eſt languidum
Tanto ejulatu:
Vsque quò
Vapulo
Mensque hæc perfracta,
Ærumnisque tacta.

6.

Sed iniqui cedite,
Vocem mei fletus
Deus audit: facie
Sum clemente fretus,
Dæmon st!
Orce st!
Queis mens laboravit,
Deus condonavit.

7.

PATER mille laudibus
Te deprædicabo!
Adoretur FILIVS,
Vsque quem laudabo!
SPIRITVS
Optimus
Sitque honoratus,
Quia ſum ſanatus!

VER-

VERBVM DEI.

LI.

Der HErr iſt mein getreuer Hirt/ꝛc.

1.

JEHOVAH Paſtor Optimus
Me ſervat atque regit,
Hinc bonis ſum pleniſſimus.
Quod me à malis tegit:
Hic absque fine paſcit me,
Per gramen herbæ floridæ,
Salubris Verbi ſui.

2.

Me ducit Paſtor Optimus
Ad aquam lenientem,
Hic SANCTVS Ejus SPIRITVS
Reſtaurat meam mentem,
Me ducit in rectiſſima
Mandati ſui ſemita,
Ob ſanctum ſuum Nomen.

3.

Per nigras valles ambulans
Timebo nullam mortem,
Nec fulmen ullum æſtuans,
Nec vafri lupi ſortem:
Nam habeo præſentem Te,
Solatur pedum tuum me,
Tuique Verbi virga.

4.

Me coràm menſam præparas,
Ab hoſtibus me cingis,
Meumque cor lætificas,
Meumque caput tingis
Vnguento Tui SPIRITVS,
Et poculum das plenius
Tuorum gaudiorum.

5.

Et bonum & benignitas
Sequentur me in vita,
Ac æva à me videas
In domo JOVÆ trita:
Heic cœtui ſanctiſſimo,
Poſt mortem verò adero
JEHOVÆ meo CHRISTO.

6.

Ad PATREM laus cum FILIO,
Ad FLAMEN perferatur:
Qui eſt ut à principio:
Vt ſuas, largiatur,
Pes noſter vias ineat,
Ne error menti noceat:
Qui hæc vult, dicat Amen.

LII.

Es woll uns GOtt genädig ſeyn/ ꝛc.

1.

SIt clemens nobis DOMINVS,
Suum-

Suumque det favorem!
Salutis vultus lucidus
Nos ducat ad vigorem:
Noſcamus Ejus ſtudium,
Quod Ei approbetur,
CHRISTVSQVE ſalus gentium
In orbe prædicetur,
Verſisque vita detur.

2.

Gens omnis DEVM prædicet
Per orbis lati oras:
Mundusque plauſu perſonet
Et cantitet in horas:
Quod Ipſe terram judices
A labe ſegregatus:
Quod Verbo tuo recrees,
Des gregi commeatus,
Vt quisque ſit probatus.

3.

Gens agat Tibi gratias,
Operibus decoris:
Fert terra fruges optimas,
Et Verbum crevit oris:
Nos ſoſpitet COELIPATER,
Et FILIVS, & FLAMEN,
Laudetur DEVS jugiter,
Eique ſit litamen.
Nunc quisque dicat Amen.

LIII.

O HErre GOTT dein göttlich Wort / ꝛc.

1.

Sic Jova Rex!
Divina Lex
Nos fugit usque tecta?
O Gratia!
Quod dogmata
Paulina ſunt relecta:
Et cæteri
Apoſtoli
Quæ Te jubente tradunt,
Ad ſecula
Felicia
Canenda quisque vadunt.

2.

Has ſtellulas
Offucias
Stupemus expuliſſe!
Sis proximus
Nolentibus
Rex! vera combibiſſe:
Queîs frivola
Sunt dulcia,
Ab nocte diſtrahentur!
Da luminis

His

His ſancta vis
Pateſcat, ut beentur!

3.

Qui ſtare vis,
Cum credulis,
Adeſto! vera diſce:
Fiducia
Sit addita:
Amore, ſpeque gliſce:
Æſtusque ros
Ad proximos
Dimanet inde purus:
Sit recta mens
Nil conſciens:
Sed hæc quis eſt daturus?

4.

Tu JOVA! das;
Qui liberas
Captiva corda, gratis:
Quis ſuſcipit
Hæc? morte quit
Sævisque ſtare fatis.
Quid ergo, ſi
Tyrannuli,
Verbumque, Teque trudunt?
Hæ ludicræ
Potentiæ
Quam vana tela cudunt!

5.

Nos aſſere
Vi gratiæ!
Converte Te negantes,
Non dogmatis,
Sed fabulis
Decepta corda dantes.
Heu improbant,
Nec lectitant
Indago nulla Fucis!
Non audiunt,
Sed negligunt,
Res ſacra! verba lucis.

6.

Hâc rupe ſto,
Quin dejero,
Paulina penna ſtellat!
Et tranſeant,
Quæcunque ſtant,
Hanc nulla ſtyx refellat.
Hæc permanet,
Vt concitet
Cor ſaxeum gerentes:
Quicunque ſint
Diffluxerint,
Dolore non dolentes!

7.

Es, CHRISTE, Rex:
Ego-

Egoque, nex
Cuî Regis eſt ſaluti;
Cruore nos
Das liberos
Hac ſtamus arce tuti!
Te prædico,
Tu ſervulo
Promiſſa non negabis:
Solatiô
Me, vixero
Seu ceſſero, novabis!

8.

Hâc Jova! ſpe
Suſtento me,
Non deſeres gementes,
Et gaudium
Certiſſimum
Cœleſte dogma rentes:
Beatitas,
Quam præparas,
Hos principes creabit!
Lux iſta me,
Volente Te,
In morte quàm juvabit!

ECCLESIA.

LIV.

Ach bleib bey uns / HErr JEſu Chriſt! ꝛc.

1.

AH Jesv mi! permaneas
Nos apud inter tenebras:
Fac, Verbum tuum fulgeat,
Nec lux ejusdem occidat.

2.

Perverſo hocce tempore,
Vt, juva, conſtantiſſimè
Servemus tua dogmata,
Nos donec linquet anima.

3.

O Jeſu! Tu nos adjuva,
Sunt corda noſtra frigida,
Da Verbo efficaciam,
Ne fructus creſcant perperam.

4.

Nos Verbo tuo protege,
Et minas orci cohibe,
Sis clemens tuo cœtui,
Sint fortes noſtri animi.

5.

Ah Devs! quam nequiſſimè
Turbamur nos in requie

Tot

Tot ſectis, & quot hæreſes
Obumbrant cœtûs facies.

6.

Elatos tolle ſpiritus,
Superbientes contra jus,
Qui dogma tuum innovant,
Figmentis & obnubilant.

7.

Res tua, JESV agitur,
Nos ut nos ipſi angimur,
Adeſto jam gementibus,
Et in Te confidentibus.

8.

Vox tua orci cuneus,
Chorique tui clypeus,
Conforta nos o DOMINE!
Vt hanc linquamus minimè.

9.

Vivamus, juves, juxta Te,
In Verbi tui viſcere,
Ex mundi hac miſeria
Attollas nos ad gaudia.

LV.

Ach GOtt vom Himel ſieh darein/ꝛc.

I.

AH JOVA! cœlô videas,
Noſtrique miſerere:

San-

Sanctorum quæ eſt paucitas!
Relicti ſumus verè:
Quod verum, falſi arguunt,
Sinceram fidem reſpuunt
Mortales univerſi.

2.

Doloſa ſpargunt dogmata,
Stultitiæ connexa,
Et dicta rumpunt varia,
Antrò retròque flexa:
Hic hoc, hoc ille eligit, (ſit,
Quod dogma noſtrum ſchisma
Tradentes fulgent extrà.

3.

Extirpet DEVS dogmata,
Ne falſa porro laudent:
Qui, jactitant ferociâ,
Mugire contrà audent?
Eſt penes nos potentia,
Ac dicimus valentia,
In nos quis dominetur?

4.

Hinc DEVS dicit, ſurgam jam,
Egeni ſunt vaſtati,
Clamorem cur non audiam?
Concuſſi ſunt elati:
Hos, quibus ponunt retia,
Mirabili potentia

Fir-

Digitized by Google

Firmando in ſalute.

5.

Argentum vice ſeptima
Per ignes defæcatur;
Sic munda ſunt eloquia,
Quæ DEVS nobis fatur:
Crux audit lapis lydius,
Quo robora cognoſcimus
Fulgentis latè Verbi.

6.

Ab iſtis hoc cuſtodies,
Qui malis ſe delectant,
Nos Tibi charos facies,
Ne ſeſe in nos flectant:
Circumeunt nos impii,
Et hi perverſi filii,
Sunt inter nos turgentes.

7.

Ad PATREM laus cum FILIO,
Ad FLAMEN perferatur:
Qui eſt ut à principio:
Vt ſuas, largiatur,
Pes noſter vias ineat,
Ne error menti noceat:
Qui hæc vult, dicat Amen.

Digitized by Google

LVI.

Ein veſte Burg iſt unſer GOtt / ꝛc.

1.

ARx DEVS eſt firmiſſima,
Et armatura fortis:
Nobisque fert auxilia,
Periculis obortis.
Hoſtis Zabulus
Jam eſt fervidus,
Vi & ſubdolè
Ad bellum parat ſe,
Cuî nemo par in orbe.

2.

Vis noſtra nihil ſubjugat,
Vis citò vapulavit:
At Vir pro nobis militat,
Quem DEVS ordinavit:
Quis ſit, quæritas?
JESVS, audias,
JEHOVA CHRISTVS,
Nec DEVS alius,
Tenebit palmam Ipſus.

3.

Sit orbis plenus Dæmonum,
Qui nos vorare tendant;
Timebimus non admodum,
Tropæa nobis pendant:

Prin-

Princeps aëris
Furat furiis,
Nihil oberit
Nam judicatus it,
A verbulo peribit.

4.

Illæſa ſinant Biblia,
Vel nolens volens quisque:
Nos apud eſt in area,
Cum SPIRITV donisque:
Corpus, famam, res,
Natos, conjuges
Demant: tranſeat,
Nil ipſis lucri dat,
Nos Regnum Dei ſpectat.

5.

Ad PATREM laus cum FILIO,
Ad FLAMEN perferatur:
Qui eſt ut à principio:
Favorem largiatur,
Vt in maxima
Hac miſeria
Simus candidi,
DEOQVE famuli:
Hinc quisque dicat Amen.

Digitized by Google

LVII.

Es ſpricht der Unweißen Mund wohl / ꝛc.

1.

GEns ſtulta linguis jactitat,
Eſt Jova ſpes piorum!
Sed corde Nvmen abnegat,
Ac torvitate morum.
Res his patrari cerneres,
Res prorſus execrabiles!
Non eſt amator æqui!

2.

Deſpexit arce ſiderum
Rex Jova carne natos,
Num quos amantes Numinum
Videret & probatos:
Num mente ſit qui tramitem
Prudente carpat utilem,
Colatque juſſa Svmmi.

3.

Deflexerant ab orbita,
Omnesque deviârant!
Quin damna, ſtantes frivolâ
Ambage, duplicârant!
Quis purus eſſet crimine?
Vt noverint ſe fallere,
Placere non Tonanti.

4. Num

4.

Num quando fient ſobrii,
Tot ſarcinas plicantes,
Gregisque noſtri penduli
Rem peſſimè vorantes!
Nec corda Jovæ dedicant,
Nec hunc in arctis ſuſcitant,
Hoc absque ſe beabunt.

5.

Hinc inquieto pectore
Pericla ſuſpicantur:
Sed gens piorum, NVMINE
Cingente, quàm beantur!
At roditis vos pauperem,
Ejusque vocem ſupplicem:
Spem cordis eſſe Numen.

6.

Iſacidis quis gaudia
Opemque fert Sione?
Rex Ipſe capta pectora
Reducet ex agone;
Præſtabit id per FILIVM,
Qui lumen eſt Jacobidum,
Et plauſu Iſraëlis.

LVIII.

Wär GOtt nicht mit uns dieſe Zeit.

1.

NI Jova nos, ſi prædicet
Gens

Gens Iſraële nata,
Ni Jova nos defenderet,
Res eſſet haud beata:
Hic grex periſſet parvulus,
Mortalium tot luſibus
Vexatus atque diris.

2.

Si fauce fervent perpete,
Quæ numen annuiſſet,
Nos jam voratos viſcere
Vivosque condidiſſet!
Nos, ſicut unda turbine
Torrentis ira, vortice
Et fluctuum prehenſos!

3.

Laus Conditori! noluit
Hâc fauce nos perire;
Sed crate Turtur exiit
Manusque caſſe diræ:
Nos, fune ruptô, liberi
Salute ſtamus Maximi,
Qui fecit aſtra, terram!

LIX.

Wo GOtt der HErr nicht bey uns hält / ꝛc.

1.

Ni nos Jehova protegat
Ab hoſtium furore:

Nec

Nec partes noſtras teneat,
In cœlo altiore:
Ni ſcutum ſit Iſacidum,
Dolosque frangat hoſtium,
Mox eſt de nobis actum.

2.

Humana vis, prudentia,
Non excitent timorem,
Hic ſedet ſupra ſidera,
Cunctisque fert ruborem:
Deliberata callidè
In orbe franget, undique
Potente regnat manu.

3.

Furentes valde involant,
Ceu nosmet devorantes:
Cædesque noſtras inhiant,
Nil Deum æſtimantes:
Aſſurgunt inſtar fluctuum,
Et quærunt noſtrum obitum,
Quod DEVM miſerebit!

4.

Hæreticos nos prædicant,
Cruorem noſtrum petunt:
Se Chriſtianos jactitant,
Qui Deum nunquam lædunt:
O Nomen Tuum, DOMINE!
Velamen ſit nequitiæ?

Sed

Sed tandem, DEVS, ſurges.

5.

Diducta pandunt guttura,
Glutire nos volentes:
Sit DEO ſemper gloria!
Sic erunt haud potentes:
Hæc rumpet DEVS retia,
Et pellet falſa dogmata,
In Deum nil valebunt.

6.

Quam larga ſunt ſolamina,
Quæ DEVS! das relictis:
Favoris patet janua,
Quam ponit mens in fictis.
Periſſe cuncta, clamitat;
Cum tamen crux regenerat,
Qui opem tuam quærunt.

7.

In manu tua hoſtes ſunt,
Horumque cogitata,
Te inſcio, nil conſulunt,
Da firma nobis fata!
Hæc mens cum fide dimicat,
Futuri ſpem non excitat,
Dum Conſolator eris.

8.

Sunt terra atque ſidera
A Te, JEHOVA, facta:

Lux

Lux tua nobis lucida,
Mens fulmine sit tacta
Amoris atque fidei,
Simusque semper integri;
Obmurmurante mundo.

FIDES IN JESVM.

LX.

Ach GOtt wie manches Hertzenleyd.

1.

AH Devs! quot miseriæ
Me cingunt hocce tempore?
Heu mihi! quot sunt invii
In via cœli scopuli?
Quam ægrè carni complacet,
Quod in æternum permanet.

2.

Quò igitur confugiam?
Ad Tuam, Jesv, gratiam:
A nactus Te auxilium,
Solamen & consilium:
Ne ullus unquam periit,
Qui spem in Jesv posuit.

3.

Miraculûm Vir Magnus es,
Tu illud Ipse edoces:

O! quantum est miraculum,
Quod VERBVM caro genitum,
Et morte sua faciat,
Vt nosmet vita maneat.

4.

Mi JESV! Tu es unice,
Mi JESV! O dulcissime!
Mœroribusque gravibus
Est Nomen Tuum suavius:
Amaris cruciatibus
Est Nomen Tuum dulcius.

5.

Tabescat licet anima,
Scis, præsto sum ad omnia:
Si habeo Te, habeo,
Quo in æternum gaudeo:
Sum tuus, quantus quantus sum,
Quid nocet mors & barathrum?

6.

Nil melius invenias,
Quam Tua est fidelitas:
Non linquas me, haud nescio,
Promissis stas perpetuò:
Tu Pastor ille bonus es,
Qui semper me custodies.

7.

Mi JESV! Spes! Deliciæ!
Mi Sponse, & divitiæ!

Quis

Digitized by Google

Quis mecum satis exprimet,
Quî Nomen Tuum hilaret?
Qui credit atque diligit,
Id ipso sensu percipit.

8.

Hinc dîxi quam sæpissimè,
Si, Jesv, non delecter Te,
Optarem sanè mortis vim,
Quin nunquam lucem viderim:
In Te non cui animus,
Est certè vivens mortuus.

9.

Mi Jesv! Sponse Optime!
Ornatus heic ô maxime!
Te solo captor gaudiis,
Thesauris plùs quam aureis,
De quoties Te cogito,
Ex toto corde gaudeo.

10.

Si spem in Temet colloco,
In memet pacem sentio,
Si oro atque modulor,
Lætitiâ afficior:
Ob Tuum testimonium
Hoc cœli est præludium.

11.

Hinc diem dum aspiciam,
Hanc crucem lubens perferam:

Ad hanc me, DEVS, præpara,
Crux cœlo est proficua:
Fac, ritè rem incipiam,
Vt cursum meum finiam.

12.

Sub jugo carnem cohibe,
Custodi me à crimine,
Da fidei constantiam,
Et vivam Tibi, occidam:
Solamen meum! Audi me,
O JESV, essem apud Te!

LXI.

JEsu / meine Freude / ꝛc.

1.

JESV! Tu levamen,
Animæ cibamen,
JESV decus es:
Ah! quamdiu ferunt
Luctum, ac Te quærunt
Vires debiles!
Sponse mi!
AGNE DEI!
Extra Te, dum heic spirabo,
Neminem amabo.

2.

His sub Tuis alis
Liber sum à malis

Cun-

Cunctûm hostium:
Cacodæmon furat,
Ira hostis urat,
Sub tutore sum:
Crepitet,
Ac fulminet,
Culpa, orcus minitetur;
Jesvs me tuetur.

3.

Priscum hui serpentem!
Hui & mortis dentem!
Hui te pavidum!
Fure, curre munde,
Cano heic jucundè,
Ac quietus sum:
Nitor qui
In Dei vi:
Terra, orcus hæsitabunt,
Porro nec boabunt.

4.

Cedat omne bonum,
Jesv Tu es donum
Et deliciæ!
Cedat honor vanus,
Nullus homo sanus
Vult, nec audit te!
Dura sors,
Crux, probrum, mors

Me à Jesv, si me sternant,
Neutiquam secernant.

5.

Vale res infecta,
Mundo perdilecta,
Mihi displices!
Vale exul crimen,
Fixum habes limen,
Nunquam redies:
Valeas
Tumiditas,
Munus vitæ tu carnale,
Vale, vale, vale!

6.

Cede mens pertristis,
Tu in me Te sistis
Jesv gaudii!
His, queis Devs charus,
Luctus est amarus
Instar sacchari:
Patior,
Derideor;
Tamen mentis es cibamen,
Jesv Tu levamen!

LXII.

Lebt jemand so / wie ich / so lebt er jämmerlich / ꝛc.

1.

Vivendo sequens me,

Is

Is vivit miserè,
Quæ mihi sunt deflenda,
Non erunt apparenda,
Quæ quæro anxiè,
Abscondunt mihi se.

2.

In cœlo habitat,
Qui me quietum dat,
Cor meum sursum tentat,
Vt JESVM apprehendat;
Sed non invenio,
Quo valdè egeo.

3.

Nanciscì potero,
Quod non desidero,
Thesauri hujus mundi
Sunt mihi haud jucundi:
Terrestre gaudium
Amare stolidum.

4.

Quod amo permanet,
Nec tempus comedet:
Quod meam mentem alit,
Nec æstus maris salit,
Nec ignis devorat,
Sors nulla separat.

5.

Amando crucior,

Digitized by Google

Nam ad quod ſtimulor,
Ab hoc repulſam geram,
Quid? hoc non ægrè feram?
Non, amo, redamor,
Non, peto, repetor.

6.

Quamdiu gemui,
Quod nihil reperi!
Quamdiu lamentatus,
Amore quod vexatus!
An amo alium,
Quam JESVM unicum?

7.

Ah! cœlum pande te,
Ad te expando me,
Vt tandem hunc adventem,
Qui refocillat mentem:
Ah! Jeſu aperi!
Sic ſæpè gemui.

8.

Aſt cuncta temerè;
Vitarum pergrave
Hoc jugum eſt ferendum,
Et oleum perdendum:
Quod mihi dulce ſit,
Amarum valdè fit.

9.

Non tamen deſinam,
Ama-

Amabo, recolam,
Quem mens amore tangit,
Me quamvis amor angit,
Nec illo fruitus;
Est amor melleus.

10.

Ob velle decoror,
Si nihil consequor.
Affectus insedatus,
Ploratu comitatus,
In æstûs medio
Sit recreatio.

LXIII.

Lebt jemand so / wie ich / so lebt er seeliglich / ꝛc.

1.

VIvendo sequens me,
Is vivit optimè:
Quod seriò petivi,
Id tandem acquisivi,
Securus sedeo,
In JESV gremio.

2.

Guttasque edidi
Ceu panem, dolui:
Tumultum mundi spernens,
In cœlum sursùm cernens

Cor, sensus animi;
Sed Hunc non reperi.

3.

Vrgebat mundus me,
Promittens mihi se,
Voluptas voluptates,
Majestas majestates,
Et aurum auri sat,
Vt me commoveat.

4.

Te, munde, apage!
Ajebam apud me,
Nam hæ amœnitates
Deflorent ut ætates;
Hoc lucrum perdit me,
Te, munde, apage!

5.

Vix hæcce dixeram,
Jam JESVM senseram,
Qui collo meo nexus,
Me millies amplexus,
Quem mens amaverat,
Qui me vexaverat.

6.

Guttarum flumen sta;
E corde fluens Ah!
Post cruciatus mille,
Jam venit JESVS ille,

Qui

Qui amantissimum
Est meum corculum.

7.

Auditus gemitus,
Fletusque redditus
In risum; & mœrores
In melleos amores,
Stillant nubeculæ
Jam dona animæ.

8.

Amarum accidit,
Id quod jam dulce fit,
Si dolor peracescit,
Plus amor perdulcescit:
Quis mutat tempora
In seclûm secula?

9.

Id adhuc angit me,
E vitæ carcere
Quod nondum liber fiam,
Ah! mentem rape piam
Ad Te, perpetuo
Vt fruar gaudio.

10.

Dierum satur sum,
Et cruciatuum,
Me habent deque susque,
Mi Jesv, ah! quò usque?

Ah! tolle animam,
In domum cælicam.

LXIV.

Meinen JEsum laß ich nicht / ꝛc.

1.

JESVM nunquam desero,
Quia sese pro me dedit;
Sic in Eo hæreo,
Vt nec vesti lappa cedit:
Ejus luce fulgeo,
JESVM nunquam desero.

2.

JESVM nunquam deseram,
Donec me servabunt fata,
Ipsi sunt haud perperàm
Ego, quæque mea, data,
Scopo illi unico:
JESVM nunquam desero.

3.

Cedat sensus oculi,
Et auditus, gustus, tactus,
Cum olfactu, vitæ si
Terminus ad finem actus;
Mortis iter adeo,
JESVM nunquam desero.

4.

Neque illum deseram,

Si in grege ſum eorum,
Vbi tunc aſpiciam
Magnam fidem electorum:
Viſu Ejus gaudeo,
JESVM nunquam deſero.

5.

Mundum non, non ſidera
Mea mens deſideravit;
JESVM ſed, ſed lumina,
Qui me DEO expiavit:
Liber ſum judicio,
JESVM nunquam deſero.

6.

JESVM nunquam deſero,
Greſſus cum Eodem lucet,
Chriſtus me perpetuò
Ad ſalutis rivos ducet:
Salvus, qui ut cantito,
JESVM nunquam deſero.

LXV.

Wie ſchön leucht uns der Morgenſtern / ꝛc.

1.

QVam pulchrè fulget Phosphorus,
Favore plenus cœlitùs,
Perdulcis radix Jeſſe!

Qui

Qui voluisti Filius
Davidis Jacobiticus,
Rex, Sponsus meus esse:
Clarus,
Charus
Occupâsti
Me amâsti,
Vt effatus,
Ad Te eo invitatus!

2.

Ornatus mi Magnifice!
Verissime Θεάνθρωπε!
Rex Regum maximorum!
Es cordis mei Lilium:
Tuumque Evangelium
Est lac & mel odorum:
Deus
Meus
Hosianna!
Cœli Manna,
Quâ cibamur:
Tui semper recordamur!

3.

Profundè cordi injice
Rubine, Jaspis fulgide,
Amoris Tui flammas!
Ac ut in Tuo Corpore
Sim vivax costa, effice,

Gu-

Digitized by Google

Gustemque Tuas Mammas!
Vris
Curis,
Gratiosa
Cœli Rosa!
Est vexatum
Cor, amore vulneratum!

4.

Illustror lætis radiis,
Si blandis Tuis oculis
Me intueris blandè:
Vox Tua, Cœna, Spiritus,
Me recreant interiùs,
O JESV adamande!
Cape
Rape,
Vlnis fove,
Ignem move,
Sis paratus,
Sequor à Te invitatus.

5.

O PATER! ENS fortissimum!
Me ante mundum conditum
In FILIO amâsti:
Hic se sponsavit mihi tùm,
Est Sponsus, ego Sponsa sum,
Quo me exhilarâsti;
Eja!

Eja!

Digitized by Google

Eja!
Hic parabit
Cœlum, dabit
Mihi vitam:
Laudem Tibi cano citam!

6.

Hinc præparate citharam,
Et concitate musicam,
Jam modo lætiore:
Vt Sponsum meum JESVLVM
Amplecterer pulcherrimum
Continuo amore:
Gaude,
Plaude,
Jubilate,
Triumphate:
Laus sit Deo!
Laus honoris Regi meo!

7.

Quæ gaudia concipio,
Quod Sponsus meus A & O,
Principium & finis:
In sui laudem sumet me
In Paradisum denique:
Quod palmis plaudo binis:
Amen,
Amen,
Veni certum

Plau-

Plausûs ſertum,
Et feſtina,
Mens Te cupit repentina!

VITA INNOCVA.

LXVI.

Ich ruff zu dir HErr JEſu Chriſt/ꝛc.

1.

IMploro, JESV CHRISTE, Te,
Exaudias querelam:
Favente adſis numine,
Retexe necis telam:
Sinceram fidem expeto,
Da: Tibi me dicatum
Fac beatum:
Vt proſim proximo,
Ac teneam mandatum.

2.

O DEVS! hoc & rogito,
Tu potes mihi dare;
Ne magis ſim opprobrio:
Fac me in Te ſperare,
In morte queam maximè
Me ſuper Te locare,
Neque ſtare
In ullo opere,

Poſt

Poſt pœnitet amarè.

3.

Ex intimo, da, pectore,
Vt hoſtibus remittam:
Remitte mihi hodie,
Novamque conde vitam:
Vox Tua meus cibus ſit,
Quo mea mens cibetur,
Ac levetur,
Si malum evenit,
Ne mox ruina detur.

4.

Nec timor, nec lætitia
A Te me ſeparabit;
Vt conſtans ſim ad finem, da.
Quod manus Tua dabit:
Et cui das, das gratis jam,
Quit nemo impetrare,
Vel parare
Per facta gratiam;
Quæ necem quit necare.

5.

Confligo atque contrà ſto,
Fer opem imbecilli,
Favori Tuo hæreo,
Tu fige robur illi:
Si vexat infortunium,
Ne perdat me, vetabis,

Tu

Tu placabis,
Ne ſit periculum,
Quod, ſcio, non negabis.

LXVII.

Kommt / und laßt euch JEſum lehren / ꝛc.

1.

EVge! JESVM audiamus,
Euge! omnes diſcite
Rationem, quâ fiamus
Candidi Chriſticolæ;
Ore ſi agnoſcimus,
Corde quoque credimus,
Atque ſemper operamur
Bona, donec moriamur.

2.

Sunt beati, qui ſectantur
Heic egenum ſpiritum,
Neque ſua gloriantur,
Sed JEHOVAM unicum;
Cui grates referunt:
Namque ipſis cœli ſunt.
Ibi DEVS honorabit,
Qui ſe heic humiliabit.

3.

Sunt beati tabeſcentes
Entheâ triſtitiâ,

Sua

Sua gemitu lugentes
Et malorum crimina;
Inde mœsti ambulant,
Coram DEO lacrymant,
Hoſce manet nunc levamen,
Et manebit tunc ſolamen.

4.

Sunt beati, qui perdurant
Mites atque placidi,
Qui injurias non curant,
Cedunt cunctis impigri;
Nec ſeipſos vindicant,
Sed rem omnem DEO dant:
Hos vult DOMINVS tutari,
Terram poſſint ut lucrari.

5.

Sunt beati ſitientes
Fidem & juſtitiam,
Nefas haud eſurientes
Per hanc vitæ ſemitam;
Qui ſunt æqui, candidi,
Pii atque integri,
Opes, dolos qui ringuntur.
Ipſi hi ſaturabuntur.

6.

Sunt beati, quos eorum,
Qui anguntur, miſeret,
Paupertate oppreſſorum,

Sup-

Supplex cor ſe commovet:
Juvant mentis indice,
Aut, ſi poſſunt, ipſa re,
DEVS rurſum hos juvabit,
Et clementiâ donabit.

7.

Sunt beati, qui in flore
Semper corde puri ſunt,
Qui re, geſtu, atque ore
Puritatem diligunt:
Queis immundus ipſemet
Mundi amor diſplicet,
Quique voluptatem ſpernunt,
Olim DEVM læti cernunt.

8.

Sunt beati hi, qui lites
Animo pacifico
Tollunt, cavent, ut evites
Rixas, pugnas ſeriò:
Pacem qui conciliant,
Et ad illam excitant,
Ipſi quoque operantur,
DEI filii vocantur.

9.

Sunt beati patientes
Omnem contumeliam,
Licet non ſint commerentes,
Suam ob juſtitiam:

Quam-

Quamvis crux ſe cumulat,
DEVS illam terminat,
Et dein remunerabit,
Si honoris ſertum dabit.

10.

DEVS! rege meum gradum
Semper in hac ſemita,
Harum ut felicitatum
Capax ſim ex gratia:
Da, ut me humiliem;
Coram Te illacrymem;
Erga hoſtem fac me mitem;
Quod injuſtum eſt, evitem.

11.

Vt egeno opem feram;
Vt ſim mundus animo;
Pacem inter hoſtes ſeram;
Amem Te ſub baculo.
PATER, da per SPIRITVM,
Vt in Tuum FILIVM
Firmiore fide credam,
Atque bonos fructus edam.

LXVIII.

Nun ſieh / wie fein und lieblich iſt/ ꝛc.

1.

QVam bonum eſt & lepidum,
Fraternè converſari,

Ob

Ob JESVM CHRISTVM unicum,
Concordiam ſectari:
Nam unum velle mutuam
Molitur tolerantiam,
Ac ſe humiliare:
Heic amor vult regnare.

2.

Tam bonus liquor balſami
Non eſt Aronis, quique
Eſt ſuperfuſus capiti,
Et barbæ, & ubique,
Quam bona eſt concordia
Chriſticolarum, inſita
In hoc, quod DEVS fatur:
Cujusmodi non datur.

3.

Non fuit tam lætabilis
E monte ros Chermonis,
Vi cujus ſitis lugubris
Sedata eſt Sionis;
Quam hæc eſt fratrum copia,
Vi SPIRITVS unanima,
In omni pio cœtu,
Damnorum absque metu.

4.

Nam DEVS benedicere
Benignus non ceſſabit,
Afflictis opem ſtrenuè
Sola-

Solatiumque dabit:
Promittit & prætereà
Quietem in miſeria,
Et tunc æternam vitam,
Per CHRISTVM acquiſitam.

5.

Ad PATREM laus cum FILIO,
Ad FLAMEN perferatur:
Qui eſt ut à principio,
Vt ſuas, largiatur,
Pes noſter vias ineat,
Ne error menti noceat.
Jam uno ore flamen
Et corde ferte Amen.

BENEDICTIO DEI IN OFFICIIS NOSTRIS.

LXIX.

Wo GOtt zum Hauß nicht gibt ſein Gunſt ꝛc.

1.

NI gratiam dat DOMINVS,
Fit labor domûs irritus:
Ni urbem Hic cuſtodiat,
Nil ullus vigil adjuvat.

2.

Eſt fruſtrà manè ſurgere,

Cum

Cum fame lectum petere,
Parare panem niſibus,
Vult, dat in ſomnis, DOMINVS.

3.

Heredes Ejus liberi,
Ab Eo nobis traditi;
In manu fortis ſpicula,
Sic proles DEO cognita.

4.

Beatus eſt, qui pharetram
His ipſis habet gravidam,
Non eis malum imminet,
Ab hoſte DEVS præcavet.

5.

Cum PATRE laus ſit FILIO,
Et FLAMINI SANCTISSIMO,
A ſeculis ut viguit,
In ſecula ſic manſerit.

PRECATIO.

LXX.

Ach! bleib mit deiner Gnade / ꝛc.

1.

AH! mane JESV CHRISTE.
Cum Tua gratia!
Ne nobis Dæmon iſte,

Digitized by Google

Nec fraus ſit nocua.

2.

Ah! mane liberator
Cum Verbo tuo, nunc
Vt nobis ſit Salvator,
Auxiliator tunc.

3.

Ah! mane clarum Lumen
Cum tuis radiis!
Nos cingat Veri numen,
Ne pes ſit labilis.

4.

Ah! mane dives Here,
Cum tua copia!
In nos clementer ſere
Bonorum ſemina.

5.

Ah! mane Heros fortis,
Cum tuo clypeo!
Ne, hoſtibus obortis,
Sit internecio.

6.

Ah! mane tua fide
Nos apud DOMINE!
Conſtantiam permitte,
In mortis limine.

LXXI.

Digitized by Google

LXXI.

O GOtt! du frommer GOtt / ꝛc.

1.

O Deus Optime! qui nil quam donis ſcates!
A Te ſunt omnia, Tu boni tale mades!
Da corpus vegetum, & in hoc corpore
Sit conſcientia ſanata animæ.

2.

Vt, juva, jugiter laborum legam fructus,
Ad quos, mandante Te, ad præſens ſum deductus,
Fac ut ſim alacer ſtatuto tempore,
Me faciente, fac, ſit feliciſſimè.

3.

Vt, juves, eloquar, quæ vera ſunt, non falſa,
Non quæ futilia, ſed pietate ſalſa,
Si quicquam eloquar, ne fluat perperàm,
Da verbis, quæſo, vim & efficaciam.

4.

Cum mala accidant, ſolare me defeſſum,
Confortes animum, & tuearis preſſum,
Fac manſuetudine ſim victor hoſtium,
Si opus habeo, mî ſit conſilium.

5.

Cum omni ſinas me concordiam ſervare,
Quo modo convenit; ſi mihi velis dare
Theſauros varios, des & appendicem,
Ne illegitimam oſtendant ſpeciem.

6.

Si jubes ſurgere ad usque ſenectutem,
Per caſus varios, robuſtam da virtutem,
Aut patientiam: peccata deſtrues,
Ludatur mea tunc ne, fac, canities.

7.

Ad vitæ veſperam in CHRISTO ut decedam,
Curabis, animam beatam reddes lætam,
Fac, corpus pietas juſtè ſepeliat,
Vt ſua requie hanc juxta gaudeat.

8.

Si tandem mortuos ut judex revocabis,
Tunc tuba gratiæ & mihi ſigna dabis,
Queis clarefactus mox electos augeam,
Et Tuam faciem beatus videam.

Grati-

Digitized by Google

GRATIARVM ACTIO.

LXXII.

Nun dancket alle GOtt / ꝛc.

1.

JEhovæ pſallite, ô! linguæ, manus, corda,
A quo magnificè ſunt omnia exorta,
Qui nos ab utero & incunàbulis,
Ineffabilibus beavit præmiis.

2.

JEHOVA Maximus, os usque dùm ſpirabit,
Cor nobis alacre, dulcemque pacem dabit,
Favore protegat & nos perpetuo,
Et liberabit nos ab infortunio.

3.

Laus, honor, gloria ſit PATRI atque NATO,
Et SANCTO FLAMINI in ſummi cœli prato,
Hinc SACRÆ TRIADI, ceu in principio,
Quæ erit, fuit, eſt, ſic & perpetuò.

LXXIII.

Nun laßt uns GOtt dem HErren/ ꝛc.

1.

NVnc gratias feramus,

Deumque concinamus,
Qui noſtra muneravit
Cibisque corda pavit.

2.

Dat membra, datque mentem,
Solusque vim vigentem:
Hæc ſedulus juvabit,
Servabit & beabit.

3.

Fovetque membra cultu,
Luſtratque corda vultu,
Hei! quæ cruenta facta
Sunt ob Parentis Acta.

4.

Sed tollit ipſa labem,
Hortique Vita tabem:
Quis vita? VITA JESVS
Pro gente ſonte cæſus!

5.

Baptisma, Cœna, Verbum,
En! reprimunt acerbum:
Hoc cor tenere FLAMEN
Cœleſte vult levamen.

6.

Hunc probra ſunt piata
Per Hunc, ſalusque lata:
Proh! dona ſempiterna
Reſervat arx ſuperna.

7. Pre-

Digitized by Google

7.

Precamur, ô benignâ
Nos, Jova! mente ſigna,
Cum parvulis parentes
Tuere Te fatentes.

8.

Da, veritas perennis
Nos liberet gehennis:
Vt nomen invocetur,
Vt Chriſtus amplietur. Amen.

CRVX ET PATIENTIA.

LXXIV.

Wenn wir in höchſten Nöthen ſeyn / ꝛc.

1.

SI ſumus in periculis,
Verſamur in anguſtiis,
Caremus & levamine,
Curamus omni tempore.

2.

Hoc noſtri ex ſolatii,
Quod omnes atque ſinguli
Te invocemus DOMINVM,
Vt auferas periculum.

3.

Tollamus cor & oculos

Ad Te dolore fluidos,
Quærentes culpæ veniam,
Et verſus pœnas apocham.

4.

Quam Tu clementer annuis
Orantibus Te ſingulis
In CHRISTO Tuo Filio,
Actore ſalutifero.

5.

Hinc Te adimus, DOMINE!
Querentes vim miſeriæ,
Cum derelicti maximis
Jam ſimus in periculis.

6.

Ne cernas noſtra crimina,
Remitte hæc ex gratia,
Nos curis anctos adjuva,
Ab omni cruce libera.

7.

Vt tandem cordis debitas
Agamus Tibi gratias,
Servemus Tua placita,
Laudemus Te in ſecula.

LXXV.

O groſſer GOtt von Macht! ꝛc.

1.

O JOVA, Summum Ens,
Divesque gratiæ!

Ne

Ne regna ſæviens
Subverte fulmine!
Eſt fors piorum concio,
Te corde quærens limpido:
Ob hoc favere noſce,
Nec arma ſæva poſce!

2.

O Jova, Sancte Rex!
Hoc abſit horridum,
Vt lacrymoſa Lex
Concludas integrum!
Ter bisque denos invenis,
Qui ſe dicarunt cœlicis:
Ob hos favere noſce,
Nec arma dura poſce!

3.

O Jova, magna Lux!
Miſertus aſpice,
Nec ultor eſto trux,
Hæc fata condole.
Si quinque deſunt augmini,
Quid tùm? valebunt ceteri:
Ob hos favere noſce,
Nec arma vaſta poſce!

4.

O Jova, ſola Vis!
Tuere patriam;
Manumque Judicis

Demitte fervidam!
Quaternè denos reperis,
Quos ſegregas ex impiis?
Ob hos favere noſce,
Nec arma cruda poſce!

5.

O JOVA, mira Pax!
Miteſce, quæſumus;
Vox iſta contumax
Adſcendit altiùs:
Triginta cernis, optimum
Qui velle curant Numinum?
Ob hos favere noſce!
Nec arma dira poſce!

6.

O JOVA, vive Fons!
Haud vota reſpues;
Monebat altus mons,
Secunda ſupplices.
Quid? ſi viginti forſitan
Odiſſe noris Satanan?
Ob hos favere noſce,
Nec arma ſicca poſce!

7.

O JOVA, promte Dux!
En! pulvis unicum
Te poſcit: alma lux
Hortatur anxium:

De-

Decemnè Tu neglexeris,
Quos esse justos conspicis?
Ob hos favere nosce,
Nec arma læva posce!

8.

O Jova, celsa Fax!
Mensura affluat
Errore; pertinax
Nos plaga demetat!
Quid? parvuli si respuunt
Peccare, jusque diligunt?
Ob hos favere nosce,
Nec arma rauca posce!
O Jova, fida Spes!
Nil pollet coram Te:
Has Christvs ergo res
Componet optimè,
Attende Nati tristia
Tormenta, flagra, vulnera!
Ob hunc favere nosce,
Nec arma torva posce!

LXXVI.

Wer in dem Schutz deß Höchsten ist / ꝛc.

1.

SEcura arx Altissimi
Quem conditum tenebit,

Hic verba : Jovæ pectori
Spes fortis es: movebit.
Te Rege felix improbô
Ex caſſe Ditis exeo,
Spargentis orbe peſtem!

2.

Te Tutor alâ proteget
Potente, fide ſoli;
Vi Veritatis aſſeret,
Pavere monſtra noli.
Quæ ſpectra noctu curſitant,
Quæ tela ſolem denigrant,
Fulgente Verbo, ride!

3.

Non peſtis te volubilis
Abſente ſole lædet,
Nec triſte, cauda Dæmonis
Fervente, virus edet.
Perire mille cerneres,
Decemque peſte millies,
Tu ſtabis, ecce! ſalvus.

4.

Spectabis autem gaudia
Sperata, corde lætô;
Cum Jova pendet centupla
Fregiſſe jura ſueto:
Tibique curâ providâ
Aſyla pandet ardua,

Quod

Quod ipe recumbis ipſi.

5.

Nec turbo tendet obvius
Tuisque plaga tectis:
Vult JOVA, ducat Flammeus
Te Grex, viisque rectis.
Vult damna cuncta reprimat,
Et brachiis te transferat,
Ne ſaxa pes tremiſcat.

6.

Vim calce tundes liberâ
Serpentis & Leonis:
Leonis atra ſemina
Ridebis & Draconis.
Dens ater, abſit! enecet,
Aut peſtis ulla faſcinet
Tonante corda fiſa.

7.

Qui dixit: ardet pectore
Me ſpeque quis manente,
Hunc dexterâ Rex optimè
Defendero potente:
Huic ſum ſalutis anchora,
Quod noſtra novit Nomina:
Hæc mente ponat altâ!

8.

Hic me Parentem clamitat?
Exaudiam vocantem:

Ad-

Adſtabo, fata perferat!
Servabo lacrymantem.
Vt laude dives perpete
Salutis & dulcedine
Repletus, cœlum cernat!

9.

Sit laus PARENTI, FILIO,
Tibique FLAMEN Horum!
Honore mactat unico
Corona quos piorum.
O JOVA! des, ut ambulent
In lege, quotquot eminent
Ex mortis ore ſalvi.

LXXVII.

Befihl du deine Wege / ꝛc.

1.

DEvolve tuas vias,
Et quod cor cruciat,
In curas Ejus pias,
Qui cœlum agitat,
Qui aſtris viam tendit,
Ventisque alas dat,
Is viam & oſtendit,
In qua pes tuus ſtat.

2.

In DOMINVM ſperato,
Si tua valeant;

Ejus.

Ejusque res ſpectato,
Si tuæ maneant:
Ærumnis, curis, feris
Mœrorum furiis
Nil quicquam conſequeris,
Ni ſupplex expetis.

3.

Æternum tuum donum
O PATER! probè ſcit,
Quid malum ſive bonum
Mortali genti ſit;
Decretum ſi quod cudis,
Id fortis agitas,
Ad finem opus trudis,
Quod æquum judicas.

4.

Viarum ſcates gazis,
Non eges mediis;
Quæ facis, benè facis,
Luceſcens graderis;
Impedimenta ſpuis,
Et cares requie,
Si liberis das tuis,
Quod ipſis utile.

5.

Et licet Zabulorum
Vis omnis contrà ſtet;
Non tamen vim illorum

JE-

JEHOVAH fugiet:
Quod Ipſe ordinavit,
Et eſſe voluit,
Id tandem adventavit.
Quò ſcopum poluit.

6.

O anima! confide,
Confide validè;
Te DEVS ex hac lite,
Hôc vitæ carcere,
Clementer liberabit:
Expecta paululùm,
Et cernes, quî jactabit
Sol luces gaudiûm.

7.

Apagite dolores,
Dic: curis valedic:
Fac miſſos & mœrores,
Qui cor affligunt hîc.
Perſona non es Regens,
Qui cunctis imperes:
In throno DEVS degens
Gubernat omnes res.

8.

Hunc, Hunc regnare ſine,
Hic Rex eſt habilis,
Et hoc regnabit fine,
Vt miraturus ſis:

Si,

Si, prout Ipſe lucet,
Mirando ſtudio
Ad finem opus ducet,
Quo anctus animo.

9.

Puſillùm Ipſe quidem
Solamen differet,
Agetque, ſi te pridem
Ex corde ſuomet
Ac manù deleviſſet,
Et omni tempore
Te angor vexaviſſet,
Quid, dicat, tu ad me?

10.

At fidus ſi manebis,
Et fidus DEO es,
Solutum te videbis,
Vt id non cogites:
Cor tuum liberavit
A tanto onere,
Quo uſque oneravit,
In bonum finem, te.

11.

Tu fide es beatus,
Glorioſiſſimè
Victoriam lucratus,
Coronam gloriæ:
A Deo palmas geres

In

In tua dextera,
Et Hymnis Illum feres,
Qui vertit triſtia.

12.

Ah! fini, fini, Jova,
Vim cruciatuum!
Da membra nobis nova,
Ad uſque obitum
Procura noſtram piè
Fidèque animam,
Sic intrant noſtræ viæ
Cœlorum januam.

LXXVIII.

Solt es gleich bißweilen ſcheinen / ꝛc.

1.

Licet fortè videatur,
Ac ſi pius deſeratur;
Attamen perſuaſus ſum,
Devs fert auxilium.

2.

Adjumentum quod differtur,
Inde tamen non aufertur;
Manè ſi non juvat te,
Juvat tamen veſpere.

3.

Patres ut non cito dabunt,
Quod filioli rogabunt;

Sic

Sic & Deus temperat
Id, quod, quî & quando dat.

4.

Hic eſt unicum ſolamen
Cruci deeſt ſi levamen,
Corde Natum retinet
Plus quam pater ſuummet.

5.

Quid tu orce? quid tu draco?
Veſtrî deriſorem ago:
Crucum quid tu cumule?
Vivit is, qui fecit me.

6.

Quid amaræ mortis dentes?
Munde quid? & exercentes
Hanc in me invidiam,
Deus amicitiam.

7.

Mundus ſemper ſit infeſtus,
Si ſum iſti permoleſtus;
Floccipendo, publicum
Deus fert arbitrium.

8.

Exulem me quamvis canet;
Attamen me cœlum manet:
Cœlum ſi habuero,
Omnibus exubero.

9. Iſti

9.

Isti cuncta cedam lætus,
Quæ odisse sum consuetus:
Stercus sibi habeat,
Deus mihi maneat.

10.

Ah! si in Te solo mico,
Cunctis aliis abdico;
Etsi terras edero,
Sat, si Te habuero.

LXXIX.

Von GOtt will ich nicht lassen / ꝛc.

1.

A Deo me non flectam,
Nec flectit se à me;
Me viam ducit rectam,
Si erro nimiè:
Hic manum porrigit,
Ac nocte sicut die,
In qua sim terra, piè
Hic mihi prospicit.

2.

Si favor commutatur,
Munusque hominum,
Mox Deus stipulatur
Benignum animum:
E malis juvat me.

Pec-

Peccatis atque pœnis,
E vinclis & catenis,
Quin mortis rabie.

3.

In Illo hinc ſperabo,
Adverſo tempore:
Nec animum mutabo,
Quum juvet optimè.
Rem omnem dirigat:
Mens mea, corpus, vita
Sit DEO definita:
Qui, ceu vult, faciat.

4.

Eidem nil probatur,
Quam quod nos adjuvat:
Haud nobis adverſatur,
Sed CHRISTVM dono dat,
Dilectum Filium,
Per quem & nobis dedit,
Quod cor & corpus edit.
Laudate DOMINVM!

5.

Laudate corda, ora
Hunc, qui vos ambo dat:
Hæc eſt beata hora,
Quæ Ejus cogitat;
Perdentes tempora,
In terra quæ teremus:

Cœli-

Cœlicolæ manemus
In ſeclûm ſecula.

6.

Si mundus evaneſcit
Cum ſua gloria:
Tunc honos & vileſcit,
Amatus antea:
Quin DEVS mortuos
In terra recumbentes,
Tranquillè dormientes
Reſuscitabit nos.

7.

Illæſa mens portatur
In ſinum Abrahæ:
Corpusque renovatur
Ab omni crimine,
Purgatum, integrum:
Sic hæres ſum cœlorum:
Quid obſit fraus cunctorum
Aſtuta dæmonum?

8.

Hinc, quamvis multum fero
Heic infortunium,
Quod dignus quoque gero,
Adventat ſeculum,
Abundans gaudio:
Perpetui illius,
Cum ſim in CHRISTVM pius,

Poſ-

Digitized by Google

Poſſeſſor fuero.

9.

Hoc eſt PARENTIS votum,
Qui nosmet condidit:
Natvsqve genus totum
Humanum extulit:
Et Sanctus SPIRITVS
In fide nos confortat,
In Regnum cœli portat:
Laudetur MAXIMVS!

LXXX.

Was GOtt thut/ das iſt wohl gethan / ꝛc.

1.

QVod DEVS facit, benè fit,
Ex corde vult ſincero:
Res meas prout dirigit,
Tranquillus Ipſi ero:
Eſt DOMINVS,
Eſt validus
Afflictum me ſervandi,
Ac optimè regnandi.

2.

Quod DEVS facit, benè fit,
Hinc me non defraudabit,
Me rectâ viâ dirigit,
Hinc Ejus ſatiabit

Me

Me ſtudium,
Quietus ſum,
In bonum vertet pejus,
Quod tenet manus Ejus.

3.

Quod DEVS facit, benè fit,
Me benè cogitabit:
Qui mirè morbos ejicit:
Venenum nunquam dabit
Pro pharmaco:
In DOMINO
Cum fidus ſit, ſperabo,
Fidemque collocabo.

4.

Quod DEVS facit, benè fit,
Eſt Lux & mea Vita,
Nil mali mihi appetit,
Me Ipſi tradam ita,
In jubilis,
In nubilis,
Nam brevi apparebit,
Quod fidem hanc tenebit.

5.

Quod DEVS facit, benè fit,
Si calicem guſtabo,
Abſinthium qui porrigit,
Non tamen recuſabo,
Cum ultimò

Per-

Perſentio
Perdulces Verbi flores,
Qui deprimunt dolores.

6.

Quod DEVS facit, benè fit,
Hinc non ſum perturbatus,
Me quamvis furti abigit
In viam cruciatus;
Sed ſcio, me
Quod candidè
Fidelis DEVS tegat,
Hinc, ut vult, Ipſe regat.

LXXXI.

Was mein GOtt will / das g'ſchehallzeit / ꝛc.

1.

QVod DEVS vult, id accidat!
Vult juſtus, eja! juſta;
Hos reſpicit, quos roborat
Spes ad futura buſta.
Ex aſperis
Educit is,
Et mitius flagellat:
Cuique mens
Eſt obſequens,
Hunc, abſit, ut repellat!

2.

Eſt Numen hujus pectoris
Spes, petra, vita, portus:
Manebo, quam decreveris,
Rex Sancte! cladis ortûs.
Vox vera ſtat:
Is computat,
Meosque ſcit capillos;
Vt circitor:
Sic promtior
Procurat hos & illos!

3.

Ad aſtra, linquens aſpera,
Nunc lætior migrabo!
Mox cum vocabunt Numina,
His promtus obviabo,
His ſpiritum
Do proprium
Inſtante mortis horâ!
Te dante, Rex!
Peccata, nex,
Silentque ditis ora.

4.

Hoc unicum Te flagito,
Ne, Jova, denegabis,
Latrante torvùm Cerbero,
Tu languidum juvabis!
Averte vim

Hanc

Hanc perpetim,
Et laude Te laudabo:
Hæc flagito,
Et impetro!
Hinc Amen insonabo.

LXXXII.

Wer nur den lieben GOtt läßt walten / ꝛc.

1.

QVi spem & sortem collocabit
In Dei providentia,
Hunc DEVS mirè conservabit
In cruce ac mœstitia.
Qui DEO fidit, fabulo
Haud ædem struxit lubrico.

2.

Quid juvant myrias curarum?
Quid mœror? quid tristitiæ?
Cur fundimus miseriarum
Suspiria quotidie?
Immodica molestias
Accumulat anxietas.

3.

Mens cuncta ferat patienter,
Et cor in se tranquillum sit.
Nam DEVS omnia clementer

Eventu bono dirigit.
Qui nos elegit filios,
Nos haud relinquet orphanos.

4.

Solamen opportunè dabit,
Dum horam novit gaudii.
Si modo nemo desperabit,
Vt solent temporarii.
Fideli plenum gratiæ
Fert DEVS cornu copiæ.

5.

Non te à DEO deputabis
Relictum in angustiis:
Beatos neque prædicabis
Vtentes rebus prosperis.
Vtrumque fatum termino
Disponit Numen congruo.

6.

Est DEVS tibi Rex serenus,
Qui nutu potens efficit,
Vt homo dives sit egenus.
Egenus homo dives sit.
Fortunæ DEVS imperat:
Nunc tollit, nunc humiliat.

7.

Sis pius, ora & labora,
Quod tuum, fac officium.
Nam felix tandem venit hora,

Quæ

Digitized by Google

Quæ fert perenne gaudium.
Nec ſpe, nec ſorte labimur,
Quæ DEO firma nititur,

LXXXIII.

Ich laſſe GOtt in allem walten / ꝛc.

1.

COntentus mea vivam ſorte,
Sors eſto mediocritas.
Nam DEVS providebit forte,
Vt major ſit felicitas,
Sic DEI providentia
Stat pro ſufficientia.

2.

Si quid ex voto non ſuccedit,
Succedit DEI gratia.
Sol iterum adverſa redit
Serenior poſt nubila.
Majora tunc ſolamina
Fert DEI providentia.

3.

Vt ſplendidis non fruar bonis;
Non pulcher ſim honoribus;
Poſtremus ſim fortunæ donis,
Nec auri luce lucidus;
Conditio ſit parvula:
Eſt Dei providentia.

4.

Quot pedicas avaro tendit,

Quot Mammon fallax retia?
Et dum miſellum comprehendit,
Periclitatur anima.
Sic bona quæro modica,
In DEI providentia.

5.

Ambitione dignitates
Superbas nunquam ſitio.
Si memet inter optimates
Modeſto gradu colloco.
Sit gloria graviſſima
In DEI providentia.

6.

Cum læta floret ſors elato
Haud nitor ſupercilio.
Nec cum me premat, deſperato
Succumbam triſtis animo.
Vtrumque fatum optima
Fert DEI providentia.

7.

In manu DEI conſignatus
Nil verſor in diſcrimine.
Nolente DEO, cruciatus
Me fruſtra valent tangere,
At benè cadunt omnia
Ex Dei providentia.

8.

Quid multis? quoad inter vivos
Vſu-

Vſura lucis perfruar;
Seu ſat annorum claudam rivos,
Et morte mea moriar;
Contentus ponam ſingula
In DEI providentia.

LXXXIV.

Schwing dich auff zu deinem GOtt.

1.

SVrſum nunc ad ſidera,
Anima perfracta!
Cur in DEVM perfida
Atra patras facta?
Ecce! aſtus dæmonis,
Rapere conatur
Commodum levaminis,
Pios quod ſolatur.

2.

Euge! dic heroicè:
Fuge, ſerpens vetus!
Renovare audesne
Planctus, luctus, fletus?
Fracta tua capita:
Duxit Salvatoris
Paſſio me valida
Ædes ad honoris.

3.

Nævos mihi objicis?

Vbi DEVS juſſit,
Vt tu meus judex ſis?
Ipſe te excuſſit:
Quis, ut damnes alios,
A te ſtipulatus,
Ipſe qui ad meritos
Ignes es damnatus?

4.

Verum eſt; at pœnitet
Semper me peccâſſe:
CHRISTI ſanguis diluet
Scelera exaſſè:
Lytrum Hic eſt criminum
Omnium meorum,
Fero Hunc ad Solium,
Liber ſum illorum.

5.

CHRISTI innocentia
Jusque me coronat,
Vulnus mihi area
Et aſylum ſonat,
Meum fortalitium,
Cujus firmos poſtes
Omni vi arietum
Non expugnant hoſtes.

6.

Mors & dæmon fremite,
Fremor otioſus!

Nam

Nam afflictum tegit me
DEVS gratioſus:
DEVS hic, qui FILIVM
Dedit ex amore,
Orci ne convicium
Angat me horrore.

7.

Boa, munde! NVMEN me
Bello eſſe petens:
Meræ ſunt fallaciæ,
Et commentum fœtens:
Eſſet adverſarium,
Nunquam conceſſiſſet,
Sanguinem quod roſeum
CHRISTVS effudiſſet.

8.

Quidquid eſt in cœlico?
Quid in ſalo maris?
Quid in orbis circulo?
Quod non bonum faris?
Cui fulgent ſidera?
Quidquid eſt productum?
Aër, aqua, omnia,
Ni in noſtrum fructum?

9.

Cui terræ pluviâ,
Rore irrigantur?
Cui virent folia?

Cui gravidantur
Campi, ſylvæ, flumina?
Mihi, ut quieſcam,
Vtque neceſſaria,
Habeamque eſcam.

10.

Mea vivit anima
Cibo doctrinarum,
Quo repletur avida
Gens Chriſticolarum:
DEVS pandit ſpiritum
Meum, atque ſenſus,
Vt Ipſius aditum
Habeat IMMENSVS.

11.

Vatum quid Oracula?
Quid Apoſtolorum?
In obſcuro lumina,
Faces ſunt, quæ morum
Fideique tenebras
Pellunt denſiores,
Atque conſcientias
Reddunt certiores.

12.

Ergo in his funditùs
Meam condo mentem:
Licet iſte Cerberus
Suum terat dentem;

Atta-

Attamen non deſtruet,
DEVS quod exſtruxit,
Sed id turpe corruet,
Quod manſurum duxit.

13.

Amo DEVM, DEVS me,
Vincla quis laxabit?
Diræ nec anguſtiæ,
Quales fatum dabit.
Sæviant! hæ accidunt
Manu à dilecta,
Occidunt ceu veniunt,
A JEHOVA recta.

14.

Omnes patris liberi,
Piè educandi,
Fiunt vix ingenui,
Niſi verberandi;
Num mens crucem fugiat,
Cum ſim inter lectos?
Ille regens dirigat
Omnes greſſus rectos.

15.

DEVS æquè cogitat,
Chriſtianos quærens:
Qui in terra lacrymat,
Illic non eſt mœrens,
Sed quam perfectiſſimè

Jubilans lætatur,
Verbo Dei indice,
Deo adamatur.

16.

Serunt quidem lacrymas,
Qui ſunt Deo chari;
Annus tandem cupidas
Mentes vult ſolari:
Quando meſſis venerit,
Spicas tunc ligabunt,
Ex dolore plauſus fit,
Fletum immutabunt.

17.

Eja! tuos, anima,
Collige dolores,
Rejice diſcrimina,
Gaude, quod honores
Manent te perpetuò:
Venerare Flamen
Triadis ſub jubilo,
Te juvabit: Amen.

LXXXV.

Ich hab in GOttes Hertz und Sinn / ꝛc.

1.

Secundum Dei placita
Sint fata definita,

Ini-

Iniqua ſors eſt commoda,
Mors ipſa mihi vita.
Nam Dei ſum,
Qui ſolium
Cœleſte apparavit,
Cum vapulo,
Pœnasque do,
Me ſemper adamavit.

2.

Cur ergo querar aliquid,
Cum Deo ſim acceptus?
In mare quamvis projicit,
Tentamine ereptus
Mox certus ſum,
Quod animum
In bono confirmabit,
Si pareo,
Me ſubito
Potenter exaltabit.

3.

A me non oriundus ſum,
Nec ſum à me formatus,
Conceſſit Deus ſpiritum,
Per quem ſum adornatus
In anima
Prudentiâ:
Os, carnem, corpus condit.
Qui monſtrat ſe

Sic

Sic, gratiæ
Solamen non abſcondit.

4.

Quo quæſò ſuſtentabo me
In hac terrena ſorte?
Abhinc jam longo tempore
Occubuiſſem morte,
Ni Deus ſe
Tenerrimè
Monſtraſſet nutritorem:
Nam caſſum it,
Quod deſerit,
Et ridet gerens morem.

5.

In Deo ſapientia
Interminato modo;
Scit horam, locum, tempora,
Quæ congrua ſunt voto;
Incommoda
Et gaudia
Diſtribuenda noſcit.
Quodcunque fit,
Id proficit,
Et lacrymas ſi poſcit.

6.

Tu quidem fles, hoc indigens,
Quo carne delectaris:
Ac moles eſſet ſupprimens

Te

Te fatis peramaris;
Et angis te
Quotidiè
Cum fors non impleantur,
Sed reputa,
Quod omnia,
Quæ fiunt, te ſolantur.

7.

Hic, ſuam qui in gloriam
Te ſanè procreavit,
Ex cura provida jam jam
Prævidit & præcavit
Dexterrimè
Hoc, quod pro te
Tuisque ſalutare;
Nec murmura,
Poſt triſtia
Scit Deus delectare.

8.

Nolente Deo nihil fit,
Tandemque hoc gaudebis,
Et licet crux amara ſit,
Per Deum hanc delebis:
Sis patiens,
Divina mens
Te tandem liberabit,
Cum omne væ
Citiſſimè

Ceu

Ceu fumus avolabit.

9.

Rus absque motu turbinum
Haud eſt fœcundum fructu;
Sic ruet ad interitum
Et homo ſine luctu;
Et Aloë
Fert multa væ,
Sed tamen recreabit;
Sic anima
Per aſpera
Ad aſtra pervolabit.

10.

In manus Tuas integrè,
Mi Deus, me commendo,
Conſerva me & protege,
Cum ad ſepulcra tendo.
Ac optimè
Me dirige,
Mentique opem dabis:
Tunc gloriam
Quam maximam
Sic tuam exaltabis.

11.

Si donas mihi gaudia,
Hæc gaudens oſculabor;
Prematque me ſors miſera,
Hac patiens lætabor,

Cur-

Curriculum
Terreſtre, cum
Et longius protendas,
Te auſpicem
Et comitem
Ductorem mox oſtendas.

12.

Cum rerum ſors noviſſima,
Mors tandem me vocabit,
Perlubens ſequar compita,
Quæ tua lux monſtrabit:
Tu paſtor es?
Me extrahes
Ex rerum intervallo,
Quod coram Te,
Rex gloriæ!
Tunc laudes tuas pſallo.

LXXXVI.

Treuer GOtt ich muß dir klagen/ ꝛc.

1.

BOne Devs! Tibi queror
Cordis mei tormina;
Etſi mala, etſi mœror,
Tibi ſint præcognita:
Quam infirmus ſum in me
Semper in tentamine,
Fidem, corda quæ ſolatur,

Styx

Styx cum rapere conatur.

2.

DEVS, Te nil quicquam latet,
Scis, quod ex me pauper ſum,
Etſi mens ſe curis radet,
Omne tuum præmium,
Cuncta bona, quæ in me,
DEVS, dona ſunt ex Te,
Fidem quoque, quam partiris
Cunctis, mihi Tu largiris.

3.

Audi, DEVS, me clementer
Meo in periculo,
Supplico perquam ardenter,
Ne hîc ſim deriſio:
Fide lentum firma me,
Rumpe tricas Satanæ,
Sic ſalutem non deſpero,
Chriſtum ſed in corde gero.

4.

JESV, Tu fons gratiarum,
A Te nullum abigis
Animarum infirmarum,
Queis ſolatio Tu ſis:
Etſi fides minor ſit,
Quam ſinapis granum ſit,
Tu hanc ſcis corroborare,
Hâc & montes transplantare.

5. Ah!

Digitized by Google

5.

Ah! Solamina largire
Mihi pleno triſtium,
In arenam cum prodire
Debeo, me juves tùm:
Fidem auge protinùs,
Daque enſem Spiritûs,
Hoſtes poſſim quo necare,
Atque ſpicula declinare.

6.

SANCTVM FLAMEN, cœli quoque
DEVS, Ens perpetuum
PATRE cum, cum FILIOQVE,
Conſolator triſtium,
Flammas alens, quæ in me
Exerunt per fidem ſe:
Velis clemens me munire,
Atque fidem cuſtodire.

7.

Clemens me auxiliare,
Dulcis hoſpes animæ!
Bonum velis conſummare,
Cœpit quod auctore Te:
Suffla Tu ſcintillulam,
Donec poſt miſeriam,
Teque cum electis petam,
Fideique tangam metam.

8. DE-

Digitized by Google

8.

DEVS! Maxime Deorum!
SACRO-SANCTA TRINITAS!
Vindex ſis periculorum,
Maneas ad dexteras,
Hoſtis cum ſit jaculans,
Me ceu laſſum exprobrans,
Circulos qui vult turbare,
Meque deſperatum dare.

9.

Me ab ejus liberabis
Laqueis, quos poſuit:
Irritum & hocce dabis,
Quod, ut perdat, invenit:
Adſis in certamine,
Vincam ut heroicè:
Quoties ſic dimicabo,
Hoſtem toties fugabo.

10.

Trade membro languefacto,
Nixo talo debili,
Manus, & ad arcta acto
Dele æſtus animi:
Duc me ceu infantulum,
Ne ſuperbè animum
Hoſtis tollat, quod necavit
Quendam, qui in Te ſperavit.

11. Tu

Digitized by Google

11.

Tu es vitæ adjumentum,
Petra & fiducia,
Tibi mens & vas tradendum,
Deus, me conſidera,
Juva me, ſed propera,
Frange hoſtis jacula,
Hoſtes ipſos Tu contunde,
Adque tartara profunde.

12.

Tunc per omnes dies vitæ
Gloriabor fortem Te,
Quod querelæ ſint finitæ,
Per Te, clementiſſimè:
Hac viciſſitudine
Non ſolùm, Rex Gloriæ!
Sed tunc quoque demonſtrabo,
Quo Te modo decantabo.

LXXXVII.

Zion klagt mit Angſt und Schmertzen / ꝛc.

1.

Sion luget inter planctus,
Sion DEI corculum,
Arx, quam DEVS, qui TER SANCTVS,
Amat in perpetuum:

Que-

Queritur, ah! DEVS mi!
Vnde ſurgunt luctus hi?
Cur me linquis, me oppreſſam?
Me ignoras cruce feſſam?

2.

DEVS, mihi qui promiſit
Subitum auxilium,
Silet jam jam, quem inviſit
Meum cor perterritum:
Placentne perpetuò
Jræ Tibi placido?
Vides me contemtam ire,
Neque fletus vis audire.

3.

Sion, Sponſa mihi chara,
Fatur JOVÆ gratia:
Licet vita ſit amara,
Viſcera ſint ſaucia;
Terge tamen lacrymas,
Nullam matrem videas,
Odio quæ partum ferat,
Nec illius curam gerat.

4.

Etſi talem invenires
Matrem corde ferream,
Vbi amor perdit vires;
Pullulo clementiam,
Qua, O Sion! erga te

Fla-

Flagro quam tenerrimè:
Te ambabus amplexabor.
Tui ſemper recordabor.

5.

Ride, ſi terrere tentat
Satanas terrificans:
Ecce manus! quies commendat
Stylus temet ſcriptitans:
Ergo nulla hæreas,
Tuas ſcio lacrymas,
Tuos muros reparabo,
Teque ſemper aſpectabo.

6.

Figo hos in te ocellos,
Sinus meus fovet te,
Vt ſugentes lac puellos:
Fidus tibi maximè:
Caſus, pugna me ac te
Separabunt minimè,
Neque regnum infernale:
Fida ſis ſub cruce: Vale!

LXXXVIII.

Ach! was ſoll ich Sünder machen/ꝛc.

1.

Ah! quid faciam peccator?
Ego, ah! quid ordiar?
Quî? in me ſic arguar?

Qui

Qui ſum meus accuſator,
Vnicum refugium,
Jesvs eſt auxilium.

2.

Mala quidem cumulata
Turbavere ſanguinem;
Jesv! ſed dulcedinem,
Qua mens Tua eſt notata,
Scio: rugi barathrum,
Jesvs eſt pomœrium.

3.

Graves luctus oriantur,
Pii queis aſſueti ſunt,
Quamvis & me opprimunt;
Nec his corda dirimantur,
Jesvs nam delicium
Meum eſt præſidium.

4.

Video, quod noſtra vita
Nil quam vanus vapor ſit,
Nam nos ſemper ſupprimit
Hîc mors, etſi non quæſita:
Inſtat punctum ultimum,
Jesvs eſt ſubſidium.

5.

Mox in morte, mox in vita,
Ero ſub illecebris,
Dulcibus in gaudiis;

Cer-

Digitized by Google

Certus, quod in busto ita
JESVS det hospitium,
Donec tubicinium.

6.

Ipse me vivificabit,
Ipse stato tempore
Suscitabit certò me,
Et salutem gratis dabit:
Terreat judicium,
JESVS terror hostium.

7.

Ergo JESV me juvabis,
Vsque sim in spatiis
Hinc à mundo cœlicis,
Vbi Tu incorporabis
Luci tuæ spititum,
Meum desiderium.

LXXXIX.

Ich bin müde mehr zu leben / &c.

1.

SVm de vitæ via lassus,
DEVS solvas spiritum!
Vsque quò in posterum
Ero sic sub cruce quassus?
Premor, queror, fractus sum
Vitæ per curriculum.

2.

Ah! si DEO arrideret!

Osculârer tumulum,
In quo corpus otium
Atque terminum videret:
Vitam quod terrificat,
Vitam quod exaſperat.

3.

Curis valdè circumvolvor,
Sorte lacrymabili,
Et urente crucis vi,
Ego dormiens reſolvor:
Timor, angor, ah & væ
Vexant me quotidie.

4.

Turmas has intueâre,
Spirant quæ terreſtria,
Contrahuntur viſcera,
Cum deludor peramarè,
Fando: ecce hominem,
DEO peramabilem!

5.

In cubili tunc adoro,
Flecto fracta genua,
Gemo flens ſuſpiria,
Sortem meam & deploro,
Lacrymæ, quæ pullulant,
Denſas nubes permeant.

6.

DEVS, ah! Te miſerebit

Meæ

Meæ ægritudinis!
Scisne, quod Tu clemens sis?
Quando favor me manebit?
Valdè diù, DEVS, ah!
Linquant me solatia?

7.

Reddas, peto, me tranquillum,
Firma me in requie,
Pater dilectissime!
Et solare rursus illum,
Pressit quem afflictio,
Triumphali gaudio.

8.

Vsus fructus quidem latent
Crucis perdurissimæ,
Vt & omne ah & væ!
Quomodo & mala suadent,
Queis mundana sapiunt
In æternum pereunt.

9.

Ruant ergo pœnæ diræ,
Cædas hîc & ferias!
Illic sed indulgeas!
Verum pressus possim ire,
Adstes me clementia,
Juvet patientia.

10.

Eripe me nunc, si placet,

Poſt tot mille vulnera,
Deus, hinc ad cœlica!
Dolor ubi omnis tacet,
Veni, veni, vide me,
Me querentem eripe!

FRAGILITAS HVMANA.

XC.

Ach wie nichtig! ach wie flüchtig! ꝛc.

1.

AH quam levis! ah quam brevis
Hominum eſt vita!
Nebula ut citò creſcit,
Citò quoque evaneſcit;
Sic eſt vita: quis hoc neſcit?

2.

Ah quam leve! ah quam breve
Hominum eſt tempus!
Vti flumen velox fluit,
Et quietem retrò ſpuit;
Ita noſtrum tempus ruit.

3.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum voluptas!
Seſe vertunt ut ætates,
Lux, nox, pax & ſimultates;
Ita

Ita noſtræ voluptates.

4.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum venuſtas!
Velut citò flos langueſcit,
Levis aër ſi ſtrideſcit;
Sic venuſtas & marceſcit.

5.

Ah quam leve! ah quam breve
Hominum eſt robur!
Qui leonem ſe monſtravit,
Cum gigante dimicavit,
Illum leve pus necavit.

6.

Ah quam levé! ah quam breve
Hominum eſt fatum!
Quod ceu globus commovetur,
Huc & illuc retorquetur;
Fatum noſtrum ſic videtur.

7.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum eſt honor!
Cujus manus, ut tenetur,
Hodie adhuc lambetur,
Pedibus cras comprimetur.

8.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum eſt ſenſus!

Digitized by Google

Quisquis artes adamavit,
Opera excogitavit,
Dudum ipsum mors necavit.

9.

Ah quam leve! ah quam breve
Hominum est scire!
Qui sciebat perorare,
Et acutè disputare,
Jam ne verbulum scit dare.

10.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum est gaza!
Ipsa, modo oriatur
Ignis, aqua vel nascatur,
Præter spem annihilatur.

11.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum potestas!
Illum, potens qui surrexit,
Inque altum se evexit,
Levis tandem pulvis texit.

12.

Ah quam levis! ah quam brevis
Hominum est fastus!
Purpuratus qui incessit,
Vtque Deum sese gessit,
Ejus cura nobis cessit.

13. Ah

13.

Ah quam leve! ah quam breve
Hominum eſt omne!
Omne, omne, quod videtur,
Cadet atque obruetur,
DEVM timens non labetur!

MORS TEMPORALIS.

XCI.

Freu dich ſehr / O meine Seele / ꝛc.

1.

EJa! mea mens, lætare,
Fletus obliviſcere,
Jeſus nunc vult reſerare
Vincula miſeriæ,
Luctuum afflictio
Compenſatur gaudio,
Nulla auris quod percepit,
Nullum tempus quod delebit.

2.

Dies, noctes lamentatus,
Vrſi aures Domini,
Premor cruci ſubjugatus,
Cepi ſpem auxilii:
Vt viator poſitum
Flagrat viæ terminum!

Ego & optavi ita,
Vt ſe mox finiret vita.

3.

Vti roſæ ſunt excretæ
Spinis adurentibus;
Sic pericula ſunt rete
Piis hîc degentibus:
Vti maris facies,
Flatuumque rabies;
Ita curſus hic terrenus
Eſt moleſtus, curis plenus.

4.

Malum, mors, ſtyx & terrena,
Sanguis, caro æſtuans
Gravi ſemper vexat pœna
Nos, mentemque irritans:
Vivimus referti væ,
Angimur quotidie:
Vitæ lumen vix inimus,
Sat tormenti reperimus.

5.

Cum aurora noctem ſolvit,
Stertor quando ſolvitur,
Anxia nos cura volvit,
Vndiquaque volvimur,
Manè & in tenebris
Veſcimur nos lacrymis,
Quando ſol ad mare vergit,

Nul-

Nullus eſt, qui fletus tergit.

6.

Age, JESV! cœli roſa
Fulgens in perpetuum!
O rubedo pretioſa!
Meum ſis auxilium,
Juva, pacis gaudio
Valedicam circulo
Mundi, ſisque viæ lumen.
Et in morte juva NVMEN!

7.

Latus tuum ſit aſylum,
Mortis in itinere,
Vulnus tuum forte filum
Me adducens patriæ
Ad cœlorum gaudia,
Hîc latronis anima,
Illuc duc me delinquentem,
JESV me, me morientem.

8.

Quamvis lumina rigeſcant,
Tympana nec tinniant,
Vires linguæ vel langueſcant,
Senſus nihil ſentiant;
Lux es, fortalitium,
Vita, cœli oſtium,
Gratioſè Tu me duces
Ad æternæ vitæ luces.

9.

Equitatus Angelorum,
Qui Eliæ comites,
Mentis ductor ſit ad chorum,
Lazari qui requies,
Cui ſit ſolatio,
Quies in hoc gremio,
Vsque Tu reſuſcitabis
Corpus, & nos revocabis.

10.

Ergo anima lætare,
Fletus obliviſcere!
Quia JESVS reſerare
Vincla vult miſeriæ,
Coram quo tunc anima
Gaudet ſumma gaudia,
Quo tu læta jubilabis,
In æternum triumphabis.

XCII.

O JEſu Chriſt/meins Lebens Licht.

1.

O JESV, vitæ meæ lux!
Solamen, Spes, & viæ Dux!
In terris peregrinus ſum,
Premorque mole criminum.

2.

Eſt via mihi ardua

Ad

Ad Te in tua cœlica,
In quibus ſplendor patriæ
Quæſitus tuo ſanguine.

3.

Ad iter cor eſt languidum,
Vigore corpus vacuum,
Sed gemit ipſa mens in me
Ah! trahe, trahe me poſt Te!

4.

Perpeſſio confirmet me
In ultimo diſcrimine,
Sudoris ros me recreet,
Me vinclum tuum liberet.

5.

Et colaphorum millies
Abſtergat mali vibices,
Converte ſannas, ſpineam
Coronam Tu in gloriam.

6.

Sitisque, potus felleus
Evadat mihi melleus,
Conducat clamor anxius,
Et extinguatur tartarus.

7.

Et quinque ſancta vulnera
Petrosa ſint foramina,
Columbæ ſunt refugium,
Ne fiam milvi ſpolium.

8.

Si uſus linguæ mortuus,
Clamabit tuus SPIRITVS,
Des animæ urania,
Amittam quando lumina.

9.

Lux mea tuum Verbum ſit,
In puncto, quando ictus ſit,
Impedias inſaniam,
Dum exſpirabo animam.

10.

Crux tua meus ſcipio,
In buſto ſit remiſſio,
Sepulcri tuus habitus
Sit vitta, cum ſim mortuus.

11.

Per tua me duc vulnera,
Quæ electorum gloria,
Et per diffiſſa latera
Ad Te ducatur anima.

12.

In tuo nixus abitu,
Sum credens meo obitu,
Expande cœli oſtium,
Cum finiam curriculum.

13.

In ultimis me ſuſcita,
Vt, juva, ſim in dextera,

Ne

Ne audiam ſententias
Pro impiis horriſonas.

14.

Et me poſthâc glorifica,
Vt fulgeam ceu ſidera,
Vt Tibi haud diſſimilis
Sim, atque ſanctis Angelis.

15.

Jam lætus quantus jubilo,
In corpore angelico,
Cum electorum chorea,
In ſempiterna ſecula.

XCIII.

Mein junges Leben hat ein end / ꝛc.

1.

FLos vitæ meæ occidit,
Sic & lætitia,
Confeſtim quia deſerit
Muſeum anima:
Haud mora vitæ dabitur,
Langueſcit, ſuperabitur
In mortis prælio.

2.

Ad DEVM redit anima,
Qui eam tradidit:
Mors ipſi ſors eſt optima,
Tunc opem reperit;

Tamet-

Tametſi corpus aufugit,
Vt nunquam ſi prodierit
E matris utero.

3.

Jnique munde remane,
Te lubens deſero,
Poſthâc è tuo ſchemate
Haud damna capio:
In te eſt nulla requies,
Me donec mori audies:
Non manens locus es.

4.

Non meum queror abitum
A te, ferocia!
Id modo parit gemitum,
Et ſumma tædia:
Non fugitavi vitium,
Mors cujus eſt ſtipendium,
Corpusque deſtruit.

5.

Mi JEſu! o delitiæ!
Peccata edidi;
Ne procul, quæſo, ſis à me,
Me ſemianimi:
Ne mecum, ſpero, DOMINE,
Judicio congredere,
Remitte debita.

6. Quæ

Digitized by Google

6.

Quæ, Deus, mihi ſtatues,
Lubenter perferam:
Peccatum mundi ſuſtines,
Et meum, fac palàm.
Condona, ne ſim perditus,
Ab iræ cruciatibus
Me Chriſte vindica.

7.

Me, AGNE DEI! reſpice,
Hæc mea crimina
Tranſcendunt caput, onere
Ab hoc me libera,
Id facies: nam pondera
Sunt Tibi ſicut plumula,
Non premunt Te, ſed me.

8.

Hinc ave! dies ultime,
Tot cruciatuum!
Ne ceu gentiles plangite,
Mors ſeparat tantùm
Nos heic; ſed ibi ſinguli
Fruemur Regno DOMINI,
Si mecum creditis.

9.

Vobiſcum ſit, ut obſecro,
TER NVMEN MAXIMVM!
Vos Ejus curæ præbeo,

Eſt

Eſt Bonum Optimum:
Qui fidus Ei permanet
Ad mortem uſque, referet
Coronam gloriæ.

XCIV.

Chriſtus / der iſt mein Leben ꝛc.

1.

ESt CHRISTVS mea vita,
Cum lucro obeo,
Quem ego ſequar ita,
Ceu morte gaudeo.

2.

Abhinc decedo lætus
Ad JESVM Dominum,
Me ibi fore, fretus
Sum, in perpetuum.

3.

Jam vici cruciatus,
Et infortunia,
Cum DEO ſum placatus
Per quinque vulnera.

4.

Si impotentem fero,
Et mitto ſpiritum,
Ac linguæ impos ero,
Exaudi gemitum.

5. Dum

5.

Dum cordis cogitata
Lux tanquam pereunt,
Hinc inde fluctuata,
Cûi flammæ desinunt.

6.

Tunc in tranquillitate,
Fac, ut obediam,
Ex tua voluntate,
Si tempus finiam.

7.

Fac me adglutinari,
Vt lappa vestibus,
Concede, me amari
Æternum cœlitus.

8.

Tunc cœlum commovebo,
Pæane resono,
Et apud Te florebo,
In horto cælico.

JVDICIVM EXTREMVM.

XCV.

Es ist gewißlich an der Zeit / ꝛc.

1.

PRofectò Dei Filivs
Mox, mox approperabit,
Magni-

Magnificus ac ſplendidus,
Omnesque judicabit:
Tunc riſus finem capiet,
Si ignis cuncta abolet;
Vt Divus Petrus ſcribit.

2.

In omnes mundi limites
Clangorem tuba dabit:
Omnesque DEVS homines
Ad thronum convocabit.
Tunc mors tremiſcet admodum,
Si novum audit nuncium,
Quod omnis caro vivat.

3.

Mox DEVS librum præleget,
In quo jam eſt confectum,
Quo modo omnes judicet,
Nihilque ſit obtectum.
Tunc præmium accipiet,
Ceu quæ peregit quilibet
In tota ſua vita.

4.

Adjuta, SANCTA TRINITAS!
Vt ſcriptus nectam moras
In libro Vitæ, ultimas
Ad uſque vitæ horas:
Ne, Jeſu Chriſte, linquas me,
Agnoſco Adjutorem Te,
Ah!

Digitized by Google

Ah! quæſo me adjuta!

5.

Quid miſer ego proferam
Tunc coram Tribunali?
Quem Advocatum habeam,
Qui agat cauſam mali?
Hoc, JESV CHRISTE, facies,
Quod Tu pro reis paſſus es,
Vt omnes redimantur,

6.

Si nefas meum cogito,
Pupilla lacrymatur:
Sed cœlum ſi conſidero,
Cor meum hilaratur.
Fac, DEVS, tuam faciem
Vt luce mea cernerem,
In Vita ſempiterna.

7.

Ah, JESV! pone terminum
Hûic malæ tempeſtati,
Mens angitur mortalium:
Ne fiant deſperati,
Da Paracletum SPIRITVM,
Qui ducat hos ad cœlicum,
Per JESVM CHRISTVM. Amen.

XCVI.

Digitized by Google

XCVI.

GOtt hat das Evangelium ꝛc.

1.

DOnavit Evangelium
In noſtrum DEVS commodum,
Quod mundus non conſiderat,
Pars plurima nil æſtimat.
Hoc ante finem mundi ſignum eſt.

2.

Non obſervantur dogmata,
Accreſcit avaritia,
Fœnusque; tamen inquiunt:
Hæc planè nihil oberunt.
Hoc ante finem mundi ſignum eſt.

3.

Finguntur ſemper retia.
Hæc ſunt malorum placita,
Vt omnes opes attrahant,
Quâ vi ſi modo valeant.
Hoc ante finem mundi ſignum eſt.

4.

Laudatur Evangelium,
Sed quem ſcis hûic morigerum?
Næ DEO ſannis obſtrepunt;
Nil obeſt, tamen inquiunt.
Hoc ante finem mundi ſignum eſt.

5.

Scurrilitas jam præſidet,
Auri-

Aurique fames obtinet,
Ac nullus eſſet DOMINVS:
Vbique jacet Lazarus.
Hoc ante finem mundi ſignum
7. (eſt.

Oderunt res Eccleſiæ,
Non ſunt ab iſtis conditæ,
Et tamen illas auferunt;
En! quid avari excolunt.
Hoc ante finem mundi ſignum
8. (eſt.

Mundusve DEVM poſthabet,
Honores omnis redolet:
Faſtusque creſcit protinùs,
Fraus, fictum non ſunt dedecus.
Hoc ante finem mundi ſignum
9. (eſt.

Qui fratres ſuos diligunt?
Heu! furum cuncta plena ſunt:
Non fides eſt, non pietas,
Omnisque vult pecunias.
Hoc ante finem mundi ſignum
10. (eſt.

Effrenus mundus calcitrat,
Verboque Dei contra ſtat:
Nil didicerunt melius,
Quam heluari funditùs.

Hoc

Hoc ante finem mundi ſignum
11. (eſt.
Magiſtri ſunt in epulis,
Et in ſcurrarum ſtudiis,
Ad unguem hæc intelligunt,
Stultorum cuncta plena ſunt.
Hoc ante finem mundi ſignum
12. (eſt.
Sol amplius non poterit
Spectare, ſed hæc deſpicit:
Hinc lucem ſuam removet,
Quis caſus hos enumeret?
Hoc ante finem mundi ſignum
13. (eſt.
Sunt luna, ſtellæ anxiæ,
Aſpectibusque miſeræ:
Hinc optant ſeſe liberas,
Ob tantas has nequitias.
Hoc ante finem mundi ſignum
14. (eſt.
Hinc, JESV CHRISTE, venias,
Concepit terra nauſeas,
Quæ ferat tantos Zabulos,
Hinc rumpas ejus laqueos,
Et fac nos finem mundi cernere.

(O)

MORS

Digitized by Google

MORS ÆTERNA.

XCVII.

Erſchröcklich iſt es / daß man nicht ꝛc.

1.

HOrrendum! quod miſeria
Inferni non ſpectatur,
Quin illa quod ceu fabula
A multis reputatur,
Cum nullum tempus tranſeat,
Quo pars non arcam repleat,
A morte quæ truncatur.

2.

Te, homo, DEVS revocat,
Cum facile ſit natum,
Vt facti te pœniteat,
Hinc paullò ſiſte gradum:
Jam prius infernalia
Rimemur ſulfurifera,
Spectrûmque ejulatum.

3.

Attende, magnis ſumtibus
Qui domus fabricabis:
In atris iſtis noctibus
Non tales aſpectabis:
Inferni domicilium
Lacuna eſt & barathrum,
In quod præcipitabis.

4. Eſt

4.

Eſt nullum ibi atrium,
Conclavium ornatus;
Eſt tormentorum barathrum,
Quod, ejus & hiatus,
Conglutinavit Zabulus.
Eſt locus luce vacuus,
Ærumnis ſulfuratus.

5.

Nec eò nimis molliter
In rheda transportaris,
Ah neutiquam! atrociter
Sed eò deturbaris:
Quamprimum efflas animam,
Ceu Dathan atque Abiram,
Ab orco devoraris.

6.

Ne cogita, quî poterit
Hic locus tot tenere?
An tanta pœna aderit?
An poteſt tot torquere?
O homo! ſcias, barathrum
Peramplum & vaſtiſſimum,
Et pœnis ſat patere.

7.

In antro hoc nil luminis,
Nec jubaris ſcrutandum,
Heic ſolis ſemper eclipſis,

Vt

Vt cœcis eſt palpandum,
Heic nulla luna, ſidera,
Damnatis extra ſpatia
In atris eſt verſandum.

8.

Heic ſurgit fumi ſqualidum,
Quod viſu execrandum,
Sulfureum & piceum,
Vbique perfumandum:
Hoc dicitur ſupplicium,
Tormentum, fulgur horridum,
Nequaquam tolerandum.

9.

Quis hunc fœtorem exprimet,
Qui heic & exhalatur?
Veneno is, qui convalet,
Contagio vexatur:
Eſt ſicut fimus igneus,
Et fœtor fœtidiſſimus
Ab hocce ſuperatur.

10.

In campo hoc triſtiſſimus
Heu! ignis hic fovetur,
Qui adeo eſt validus,
Ceu malis vix videtur:

In noſtris ſentis ignibus
Dolorem, quem dat tartarus,
Qui ſeriùs defletur.

11.

Hic ignis calidiſſimus
Duriſſima delebit:
Mors, angor ſudoriferus
Damnatos extorquebit,
Hic ignis urit impium,
Sed non comburit integrum
Hunc, mortem qui avebit.

12.

In nocte hac triſtitiæ
Nil niſi eſt horrere!
Tonitrua percipite,
Et fulmina fulgere!
Heic crepant in perpetuum,
Ventique edunt ſtrepitum,
Eſt grandini ſtridere.

13.

Cuivis locus proprius
Pœnarum aſſignatur,
Hoc velle, illud nolle, jus
Sub jugo hoc non datur:
Vagari non eſt licitum,
Ob Satanæ imperium,

Qui

Qui ſolus dominatur.

14.

Superbus in hoc tartaro
Superbo aſſidebit,
Bibaculus bibaculo,
Vterque effervebit,
Avaro dêrit gratia,
Scortator cum amaſia
In igne hoc calebit.

15.

Quis tanta poteſt perpeti,
Quæ mali patiuntur,
Securi id obſervent, qui
E vivis rapiuntur:
Noſtrates horres carceres?
Ah! hi non ſunt horribiles,
Sed ibi clamabuntur.

16.

Si hæc non amas vincula,
Quam tibi erunt malè
Accepta orci retia,
Tormenta, & quid tale,
Noctesque & tonitrua?
Hinc tempus eſt, ô anima,
Vt mundo dicas vale!

Digitized by Google

XCVIII.

O Ewigkeit / du Donnerwort! ꝛc.

1.

ÆTernum, vox tonitruans!
O enſis cor perterebrans!
O punctum circulorum!
O tempus absque termino!
Ah! quo me vertam, neſcio,
Præ grandi vi mœrorum!
Horreſcit meus animus;
Et lingua hæret faucibus.

2.

Non malum, non in orbe væ
Eſt, quod non ruat tempore,
Ac prorſus auferatur;
Aſt ævum ſine limite
Æternum ſolet ludere,
Ac dirè dominatur:
Effatum eſt à DOMINO:
Ex hoc non eſt redemtio.

3.

O! angis me, æternitas!
O! Tu, tu, juſtò diu ſtas!
Heic nullus næ jocatur:
Dum noctem ſine termino,
Ac tormina, conſidero,

Cor

Cor meum perturbatur:
Horrendius nil videas,
Quam hæcce eſt æternitas!

4.

Quid aqua, ignis, gladius?
Quæ olim cadent protinus,
An ergo iſta curo?
Quid obeſt, ſi tyrannulus,
Vix decem luſtra validus,
Me firmo claudet muro?
Cum non ſint iſta tormina
Æternùm durabilia.

5.

Si damnatorum tormina,
Tot annis, quot mortalia
Ab orbe ſunt nutrita;
Quot cœlo micant ſidera,
Quot terra profert granula,
Hæc eſſent definita:
Tunc pœna ſciret ultimum
Præfixum ſuum terminum.

6.

Jam verò, ſi diſcrimina
Tot centum mille ſecula
Funeſtè ſubiiſti:
In hisque à diabolis

Perdirè laceratus ſis,
Hæc nondum finiviſti.
Hoc tempus ſemper ultimum
Recentis eſt primordium.

7.

Ægrotus, quamvis ſplendido,
Auroque picto lectulo,
Ad Regis inſtar jacet;
Hunc tamen luxum dejerat,
Per omnem noctem clamitat,
Nec ſuum luctum tacet.
Quamcunque horam numerat,
Diemque ſemper flagitat.

8.

Sed quid hæc? peſtes inferæ
Non erunt ceu febriculæ,
Quæ tandem hîc ceſſabunt:
Sed damnatorum copiæ
In igne ac in ſulfure
Se ſe circumrotabunt:
Et ſors hæc ineffabilis
Durabit, absque terminis.

9.

Ah DEVS! es juſtiſſimus,
Qui punis malos protinus
In orco doloroſo!

In

In culpas has breviſſimas
Perennes pœnas irrogas,
Ah! corde virtuoſo
Id, homo, ſæpè rumina,
Mors inſtat, ruunt tempora.

10.

Evites rete tartari,
Voluptas ictum oculi,
Nec porro delectabit:
Pro hocce tua anima
In inferorum cavea
Se, homo, mancipabit?
Heu tuas benè geſtas res!
Quas olim gemiturus es.

11.

Dum cœlô Deus reſidet,
Et ſupra nubes eminet,
Tormenta hæc manebunt:
Et angent æſtus, frigora,
Væ, fames, heu, pix, fulmina,
Nec impios delebunt:
Tunc demum hoc ſe finiet,
Si DEVS eſſe deſinet.

12.

Hæc erit ſors perpetuò
Ceu erat à primordio,

Nec unquam minuetur:
Eſt labor ſine requie,
Et planctuum myriade
Damnatis adaugetur,
O homo! tua ſcelera
Haud ſentient levamina.

13.

Peccatis expergiſcere,
Ah! reſipiſcas perdite!
Vitamque meliora:
Eſt tempus, ſurgas! maximum,
Jam inſtat ſeclum ſeculûm,
Te damnans ſine mora:
Hoc die forſan ultimum
Eſt punctum: Quis ſcit obitum?

14.

Ne, quæſo, ſis mancipium
Laſciviæ in poſterum,
Et faſtus, & argenti:
Ferociam conſidera,
Et ſecla blandientia,
Cum Satana furenti:
Sed longam ante omnia
Prædictam noctem pondera.

15.

O execranda ſoboles!

Ah!

Ah! mente ferox, fugies
Amores hujus mundi:
In tartarum an cupies,
Tot ubi ſunt carnifices,
Æternum te profundi?
Quis tantæ eſt facundiæ,
Qui ſciat hæc exprimere?

16.

Æternum, vox tonitruans!
O enſis cor perterebrans!
O punctum circulorum!
O tempus absque termino!
Ah! quo me vertam, neſcio,
Præ grandi vi mœrorum!
Ah, JESV, trahe me poſt Te,
In domum tuæ Gloriæ!

VITA ÆTERNA.

XCIX.

Ach! wie betrübt ſeynd fromme Seelen / ꝛc.

1.

Ah! quam eſt mœſta mens piorum,
In valle hâc miſeriæ!

Quis poteſt cruces ſat eorum
Concatenatas dicere?
Hoc cruciatum commovet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

2.

Ad quam me cunque vertam lucem,
Oſtendit ſe mœrorum vis,
In manu quisque habet crucem,
Panemque tinctum lacrymis:
Hoc ſemper magis coalet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

3.

Crux plumbea hujuſce ſoli,
Et quod nos gravat, aureas
Vertetur in coronas poli,
Ah! utinam geſtarem has!
Nam onus meum prævalet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

4.

Heic adjuvat fortuna pridem,
Aſt domus tantum aliquas;
Ad riſum movet unum quidem;
Sed alterum ad lacrymas:
Proh dolor! mihi invidet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

5. In

Digitized by Google

5.

In cœlo ſat habemus dona,
In cœlo ſumus divites,
In cœlo conſequemur bona,
In cœlo DEO ſimiles,
In cœlo crux non obtinet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

6.

Heic damnis homo eſt affectus,
Heic cubitum affectus it,
Affectum heic dimittit lectus,
Affectus diem peragit:
Hoc vitam fermè dedecet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

7.

In cœlo nullus ſe vexabit,
In cœlo erunt gaudia:
JESVSque nobis propinabit
Nectarea tunc pocula.
In cœlo crux non reſidet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

8.

Ah! quarè duc, mi JESV chare!
Me ex hoc mundo miſero:
Fac cœli fores reſerare,

Quæ cordi ſunt æſtimio:
Jam mundus mihi diſplicet,
Ah! cœlum me aſſumeret!

C.

Ade du ſüſſe Welt/ ꝛc.

1.

TE, munde, apage,
Cum tuo ſchemate!
Jam mentis alas pando,
Ad cœli domum ſcando,
Quæ in æternum ſtabit,
Si orbis hic flagrabit.

2.

Te, gaza, apage,
A parvo flumine
Mox potes abſorberi,
Et ignibus deleri:
Apagite vos dona,
Haud eſtis mihi bona.

3.

Voluptas, apage;
Abundas ſtercore,
Et quæ te amplectuntur,
Cum die elabuntur,
Ad me quid voluptates,

Quæ

Quæ nullas merent grates?

4.

Te, luxus, apage,
E vermis viſcere
Bombycinæ ſunt veſtes:
Peccati primi teſtes:
Dic pulcrum, dic amœnum,
Id pulvis eſt, & cœnum.

5.

Te, honos, apage,
Quid eſſe putas te?
Es crux in acquirendo,
Et mœror in perdendo:
Hinc ad me quid honores,
Qui pariunt dolores?

6.

Te, favor, apage,
Fallacem prodis te,
Hic videt ſe deceptum,
Qui putat ſe dilectum:
Hinc ad me quid amores,
Qui pariunt mœrores?

7.

In cœlo habitat,
Qui me deſiderat,
Cor mihi dat clementer,
Amatque me ardenter,

Qui

Qui ſuaviter delectat,
Si dira ſors me ſpectat.

8.

Eſt mihi cœlica
Parata gloria:
Eſt ſcriptum nomen meum
Cum his, qui amant Deum:
Laus mea perennabit,
Quamdiu Deus ſtabit.

9.

O Sion aurea!
O Sion ſplendida!
Sunt januæ gemmatæ,
Auroque adornatæ
Vbique ſunt plateæ:
Ah, me tenerent eæ!

10.

O nectar animæ!
Beatus, ſciens Te!
Si guttulâ fruamur,
Heu quanti recreamur!
Quam læti, heu! ex vivo
Bibemus olim rivo.

11.

O donum cœlicum!

Tu

Tu firmas animum:
Quæ nobis erunt bona,
In Te, mi Jeſu, dona!
Quas opes nobis dabis?
Queis gazis delectabis?

12.

Te, munde, apage,
Ad cœlum pando me!
Terreſtri dira fero,
Cœleſte tantum quæro:
Mundana res valeto,
Sors cœlica ſalveto.

Soli Deo Gloria.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LATINVS.

A.

AB altis cœlis prodeo 30
A Deo me non flectam, 164
Æternum, vox tonitruans! 220
Ah Deus! quot miseriæ 121
Ah JEsu mi! permaneas 110
Ah Jova, cœlo videas, 111
Ah! mane JEsu Christe, 145
Ah! quam est mœsta mens 225
Ah quam levis! ah quam 196
Ah quid faciam peccator? 191
Arx Deus est firmissima, 114
Ascensionis Domini 54

B.

Bone Deus! Tibi queror 185

C.

Christus Salus animæ 43
Cœlos Deus revisit, 56
Congratulemur intimè, 68
Contentus mea vivam sorte, 173

D.

Devolve tuas vias, 158

Deus

Digitized by Google

Deus orbis fabricator 3
Deus Pater! tege nos, * 61
Donavit Evangelium 212

E.

Eja! mea mens lætare, 199
Eja! mens nunc ſurge mea, 5
Eſt Chriſtus mea vita, 208
Euge! JEſum audiamus, 139
Ex inferis acclamo Te, 92
Ex mera Dei gratia, 71
Ex omni mea mente 1

F.

Flos vitæ meæ occidit, 205

G.

Gens ſtulta linguis jactitat, * 116
Grates nunc omnes 87
Grex Angelorum cœlitus 29

H.

Herodes, cur es timidus 42
Hic dies eſt lætitiæ 23
Hic Sanctus eſt Decalogus, 62
Horrendum! quod miſeria 215
Huc Numen adſis flabile * 57

I.

Jam faxit Deus, canticum 37
Jam petimus S. Spiritum, 58
Jehova ah 87
Jehova Paſtor optimus 103

Digitized by Google

Jehovæ pſallite 149
JEſus Chriſtus nos ſalvavit 81
JEſus Chriſtus noſter Salvator 51
JEſum nunquam deſero, 132
JEſu, Salus animarum! 93
JEſus mea anchora 52
JEſu! ſumus hîc, ut Te, 12
JEſu! Tu levamen, 137
In celſis Deo gloria 59
In dulci jubilo 28
In morte Chriſtus hæſit 48
In ſolo, JEſu Chriſte, Te, 90
In unum Deum credimus, 66
Jordanem adit Dominus, 78

L.

Laudate veſtrum Deum, 35
Laudatus Deus, ſitque benedictus 86
Laudemus Chriſtum Jeſulum 21
Laudetur Chriſtus Jeſulus 26
Licet fortè videatur, 162

N.

Ne me tuus arguat 100
Ni gratiam dat Dominus, 144
Ni Jova nos, ſi prædicet* 117
Ni nos Jehova protegat 118
Nunc gratias feramus, * 149
Nunc ſylva eſt quieta, 9

Digitized by Google

O.

O Deus optime! 147
O Deus rupes gratiæ! 14
O JEsu! à Parente 16
O JEsu, vitæ meæ Lux! 202
O Jova, Summum Ens! * 152
O Princeps stirpis Regiæ! 33
Orna te, ô mens dilecta! 83

P.

Perchare JEsu! quæ Tu 46
Preces, Deo gratiæ! 13
Profectò Dei Filius 209
Puer natus in Bethlehem 25

Q.

Quam bonum est & lepidum, 142
Quam pulcrè fulget Phosphorus 133
Qui spem & sortem collocabit 171
Quod Deus facit, benè fit, 167
Quod Deus vult, id accidat * 169
Quò ego fugiam 97
Quo modo Te amplectar? 18

S.

Secundum Dei placita 180
Secura arx Altissimi * 155
Sic Jova Rex! * 106
Sion luget inter planctus, 189
Sis præsto JEsu, optimum 12

Digitized by Google

Si ſumus in periculis 151
Sit clemens nobis Dominus, 104
Si vis beate vivere, 65
Sum de vitæ via laſſus 193
Surſum nunc ad ſidera, 175

T.

Te, munde, apage, 228
Tu noſter es Cœlipater, 75

V.

Veni Salus gentium, 15
Vivendo ſequens me, is vivit miſerè, 127
Vivendo ſequens me, is vivit optimè, 129

Regiſter der teutſchen Geſänge.

A.

ACh! bleib bey uns HErr JEſu Chriſt / 110
Ach bleib mit deiner Gnade / 145
Ach GOtt und HErr / 87
Ach GOtt vom Himmel ſieh 111
Ach GOtt / wie manches Hertzenleyd 121
Ach was ſoll ich Sünder machen? 191

Ach wie betrübt sind fromme 225
Ach wie nichtig! 196
Ade / du süsse Welt 228
Allein GOtt in der Höh sey Ehr 59
Allein zu dir / HErr JEsu Chr. 90
Auf diesen Tag bedencken wir 54
Aus meines Hertzens Grunde 1
Aus tieffer Noth schrey ich 92

B.

Befihl du deine Wege 158

C.

Christ fuhr gen Himmel 56
Christ lag in Todes-Banden 48
Christum wir sollen loben 21
Christ unser HErr zum Jordan 78
Christus der ist mein Leben 208
Christus der uns seelig macht 43

D.

Danckſagen wir alle 87
Der HErr ist mein getreuer 103
Der Tag der ist so freudenreich 23
Diß sind die H. Zehen Gebott 62

E.

Ein Kind gebohren zu 25
Ein veste Burg ist unser GOtt 114
Erschröcklich ist es / daß man 215
Es ist das Heyl uns kommen 71
Es ist gewißlich an der Zeit 209

Digitized by Google

Es spricht der Unweißen Mund 116
Es woll uns GOtt genädig 104

F.

Freu dich sehr/ o meine Seele 199

G.

Gelobet seystu JEsu Christ 26
GOtt der Vater wohn uns bey 61
GOtt deß Himmels und der 3
GOtt hat das Evangelium 212
GOtt sey gelobet und 86

H.

Helfft mir Gott's Güte preisen 35
HErr Christ der einig Gottes 16
HErr JEsu Christ/ dich zu 12
HErr JEsu Christ / meins 202
Hertzliebster JEsu / was hastu 46

J.

Ich bin müde mehr zu leben / 193
Ich hab in Gottes Hertz und 180
Ich lasse GOtt in allem walten/ 173
Ich ruff zu dir/ Herr JEsu Chr. 137
JEsu/ der du meine Seele/ 93
JEsu meine Freude / 124
JEsus Christus unser Heyland / der den 51
JEsus Christus unser Heyland / der von 81
JEsus meine Zuversicht 52
In dulci jubilo. 28

K.

Komm heiliger Geist 57

Komt

Komt/und laßt euch JEsum 139

L.

Lebt jemand so wie ich/ so lebt er jämmerlich / 126
Lebt jemand so wie ich / so lebt er seeliglich / 129
Liebster JEsu / wir sind hier 12

M.

Meinen JEsum laß ich nicht/ 132
Mein junges Leben hat ein 205
Mensch / wilt du leben seeliglich 65

N.

Nun bitten wir den H. Geist 58
Nun dancket alle GOtt 149
Nun freut euch / lieben Christen 68
Nun GOtt lob! es ist vollbracht 13
Nun komm der Heyden Heyland 15
Nun laßt uns GOtt dem 149
Nun ruhen alle Wälder 9
Nun sieh / wie fein und lieblich 142
Nun wolle GOtt / daß unser 37

O.

O Ewigkeit / du Donnerwort! 220
O Fürsten-Kind aus Davids 33
O GOtt du frommer GOtt 147
O GOtt du höchster Gnaden 14
O grosser GOtt von Macht 152
O HErre GOtt/ dein Göttlich 106
O JEsu Christ meins Lebens 202

Schmü-

S.

Schmücke dich / o liebe Seele 83
Schwing dich auf zu deinem 175
Solt es gleich bißweilen 162
Straff mich nicht in deinem 100

T.

Treuer GOtt ich muß dir klagen 185

V.

Vater unser im Himmelreich 75
Vom Himmel hoch da komm 30
Vom Himmel kam der Engel 29
Von GOtt will ich nicht lassen 164

W.

Wär GOtt nicht mit uns 117
Was fürchst du Feind Herodes 42
Was GOtt thut / das ist 167
Was mein GOtt will / das 169
Wenn wir in höchsten Nöthen 151
Werde munter mein Gemüthe 5
Wer in dem Schutz deß 155
Wer nur den lieben GOtt 171
Wie schön leucht uns der 133
Wie soll ich dich empfangen? 18
Wir glauben all an einen GOtt 66
Wo GOtt der HErr nicht bey 118
Wo GOtt zum Hauß nicht 144
Wo soll ich fliehen hin / 97

Z.

Zion klagt mit Angst und 189

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

X VI 85

Digitized by Google